MASTER
NEGATIVE
NO. 92-81106-5

AUTHOR:

BOER, HENDRIKA G. W.

TITLE:

DE IULIA MAMAEA

PLACE:

TRAIECTI AD RHENUM

DATE:

1911

Master Negative #

92-81106-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Boer, Hendrika Gerardina Wilhelmina.
De Iulia Mamaea, Severi Alexandri matre ...
Traiecti ad Rhenum, Oosthoek, 1911.
106 p. 25 cm.

Thesis. Utrecht.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-20-93 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

DE IULIA MAMAEA, :: ::
SEVERI ALEXANDRI MATRE

H. G. W. BOER

no. 2

DE IULIA MAMAEA, :: ::
SEVERI ALEXANDRI MATRE

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE,

QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI D. SIMONS, IUR. DOCT. ET IN FAC. IUR. PROF. ORD., AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU ET NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

HENDRIKA GERARDINA WILHELMINA BOER,

RHENO-TRAIECTINA, DIE XVII
M. FEBRUARII, ANNO MCMXI,
HORA IV.

TRAIECTI AD RHENUM — A. OOSTHOEK — MCMXI

DE IULIA MAMAEA,

SEVERI ALEXANDRI MATRE.

PARENTIBUS OPTIMIS.

Promotori suo, viro clarissimo

H. VAN GELDER,

tam pro multorum annorum institutione, quam praesertim pro benevolentia, qua eam dissertationis argumentum quaerentem adiuvit, atque pro diligentia, qua deinde hunc libellum, qualiscumque est, emendavit,

praeceptoribus suis, viris clarissimis

J. C. VOLLGRAFF,
P. H. DAMSTÉ,
B. H. C. K. VAN DER WIJCK,

pro institutione et comitate,

viro clarissimo

P. H. RITTER,

pro consiliis egregiis

gratias quam maximas libenter agit

Opusculi Auctor.

I.

Praeter nummos titulosque fontes nobis principales sunt Dio Cassius, Herodianus, Vitae Heliogabali et Alexandri Severi.

Dionis Cassii Cocceiani, Iuliae Mamaeae aequalis, multis sub Severo Alexandro muneribus functi [1]), inspiciendi nobis sunt libri LXXVIII—LXXX, quorum fragmenta tantum et Xiphilini excerptum supersunt. Accedit, quod annus 229 ultimus ei fuit Historiae Romanae scribendae, fato nobis iniquissimo; nam Dio Cassius, quamquam nonnunquam subtiliora causasque reconditas non perspicit, maximo veritatis studio eminet et, ubi tractat, quae ipse vidit, maiore ei credere possumus fiducia quam ceteris, qui de his temporibus scripserunt, auctoribus.

Herodianus, qui anno circiter 240 opus suum confecit, et ipse aequalis est; sed eum Antonino Alexandroque regnantibus Romae versatum non esse veri est simile, neque satis mores institutionesque Romanas cognovit. Orator est; delectare mavult quam veritatem tueri; chronologiam et topographiam neglegit.[2]) Eorum, quorum vitas enarrat, indoles perperam saepe fingit. Fuchs [3]) dispositionem eius operis explicat, primum meliorem ingeniorum partem, deinde deteriorem eum illustrare solere ostendens, cum damno videlicet veritatis. Nihilominus uberrima eius narratio maximi est

---

[1]) Dio Cass. LXXX 1. [2]) Cf. Lécrivain. Etud. sur l'Hist. Aug. p. 419. [3]) Wiener Stud. 18 p. 187 sqq.

momenti, quia saepe bonis fontibus utebatur. Ex Dionis historia quicquam eum sumpsisse nego, Wirthii [1]) Thielii [2])que iudicium secuta.

Herodianum in exponendis Alexandri rebus e duobus fontibus, quorum alter Iuliae Mamaeae, alter Severo Alexandro adversus fuisset, hausisse neque in unum eos confudisse iure putavit Daendliker. [3]) Quam male saepe uterque ille fons iudicaverit videbimus. In belli Persici narratione alter alteri mirum in modum oblocutus est et multo iustiorem fideque digniorem descriptionem dedit. Miror, quod Thiele [4]) Daendlikerum errasse neque unquam Herodianum aliud nisi bona de Alexandro dixisse existimet, quamobrem unum tantum fontem eum adhibuisse sibi persuasit. At ipse locus, [5]) quem argumento sibi esse vult, eius verba refellit, scilicet ubi narratur imperatorem exercitui in Armeniam misso Mediamque populato auxilio non venisse sive timore perterritum sive a Mamaea impeditum. Quo loco mea quidem opinione duos eius fontes alterum iuxta alterum videmus. Recte tamen Thiele Herodianum adversus Alexandrum infesto animo non fuisse monet; nam alter tantum eius fons huic imperatori obtrectavit, fortasse regnante Maximino, quippe qui invidia praedecessoris arderet. [6]) Diversa Herodiani de Alexandro iudicia dispositione operis explicari non possunt, quia identidem eodem loco duas interpretationes invenimus. Hoc igitur meum iudicium est: Herodianum maximi nobis momenti esse, sed summa in eius narratione legenda diligentia utendum esse. Nimia benevolentia eum complectitur Thiele.

Heliogabali et Alexandri Severi Vitae, quae in Historia Augusta reperiuntur, scriptae sunt a Lampridio

[1]) Wirth Quaest. Sever. p. 61 adn. [2]) Thiele de Sever. Alex. Imper. p. 5. [3]) Büdinger's Unters. zür Röm. Kaisergesch. III, p. 210 sqq. [4]) Thiele l.l. p. 131 sq. [5]) Herod. VI 5, 8. [6]) Cf. Rühl Rhein. Mus. 1907, 62, p. 6.

Constantino imperante post annum 325, sed ab alio ex Historiae Augustae scriptoribus, qui et ipse sub Constantino vixit, retractatae. Haec antiquitus vulgata est opinio, [1]) quam sequor, cum Dessavii, Seeckii, Mommsenii coniecturae falsae esse mihi videantur.

Dessau [2]) enim in hoc vitarum corpore invenisse se censuit vestigia, quae ostenderent eas Theodosii demum temporibus conscriptas esse a quodam auctore, qui, quorum sub nominibus editae sunt, ab iis litteris eas saeculo tertio exeunte quartoque ineunte mandatas esse ementitus esset. Argumenta vero, quae adhibuit, refutata sunt. Cum Dessau omnes Historiae Augustae vitas multas inter se similitudines habere demonstrasset, alii [3]) manifestas quoque discrepantias inter eas extare probaverunt praesertim iis locis, qui ex fontibus hausti non essent, ut dissimilitudines fontibus nullo modo attribui possent, et rursus similitudines, partim cum eodem exemplo usi essent, partim cum eodem tempore eodemque consilio scripsissent, ortas esse, cum accederet, quod saepe ex iisdem fontibus contulissent vitas, quae ab uno denique viro retractatae sunt. Quod etiam Dessau contendit, in Historia Augusta legi multa verba, locutiones, narrationes, quae sub Constantino litteris mandata esse non possint, iniuria dictum id esse demonstraverunt. Deinde ex Aurelii Victoris Eutropiique operibus nonnulla sumpsisse Historiae Augustae auctores pro certo habuit Dessau. At iis locis, [4]), ubi sive Victori sive Eutropio simillima est, Historia Augusta

[1]) Cf. Lécrivain l.l. p. 27. [2]) Hermes 1888, 24, p. 337–392; 1892, 27, p. 561–565. [3]) Wölfflin Sitzungsber. der philos. philol. und hist. Classe der könig. bayer. Akad. d. Wissensch. 1891, p. 405–538. Klebs Philol. 2e serie I, 47, 1889, p. 559–562. Rhein. Mus. 1890, p. 436–464; 1892 N. F. 47, p. 1–52, 515–549. Peter Die Script. Hist. Aug. 6 litt. gesch. Unters. passim. Lécrivain l.l. p. 21 sqq. et passim. [4]) V. Marc. Aur. 16, 3–18. V. Sept. Sev. 17, 5–19, 4.

tamen plura, quae apud illos non inveniuntur, narravit[1]; ex communi igitur fonte eos pendere veri est similius. Sequitur ergo Dessavii argumenta fidem non necessario sequi; sed non infirma tantum, falsa quoque ea esse viri docti ostenderunt. Omnia enim, quae post Constantini tempus acciderunt, Historiae Augustae scriptoribus ignota fuerunt et, ut iam diximus, sua quisque lingua distingui potest, quo uno iam argumento Dessavii opinio repellitur, quippe qui ipse fateatur a pluribus viris hanc fraudationem excogitatam esse non posse.

Seeck[2]) Dessavio se adiunxit. Mommsen[3]) vero maioris harum coniecturarum partis levitatem perspexit; Constantini aetate Historiam Augustam conscriptam esse putavit; contendit tamen Theodosii fere temporibus nonnulla mutata et addita esse. Attamen, ut iam supra diximus, nulla in Historia Augusta extant testimonia, quae hanc nos opinionem sequi cogant.

Thiele[4]) quamquam et ipse Theodosii aetate rhetorem quendam Historiam Augustam denuo pertractavisse pro certo habet, idque de Vita Alexandri Severi ostendere sibi in animo esse dicit, nulla argumenta in eius libro inveniuntur; duos locos[5]) ab illo, qui librum retractavit, insertos esse asseverat[6]), sed quam ob rem Theodosii temporibus eos ascribat, mihi quidem non liquet. Iniuria Lecrivanium secum consentire existimat. At ipse Lécrivain hominem qui retractavit unum e vitarum auctoribus fuisse ostendit, Iulium Capitolinum[7]), quia interpolationes eadem atque Capitolini vitae propria habent iisdemque ex fontibus haustae sunt.

---

1) Cf. Lécrivain l.l. p. 127 sqq. 169 sqq. 2) Neue Jahrb. für Philol. und Paedag. 1890, p. 609–639. 3) Hermes 1890, 25, 2, p. 228–292. 4) Thiele l.l. Prooem. IX et p. 8 sq. 5) V. Al. Sev. 5,4. 42,4. 6) Thiele l.l. p. 42 sq. 7) Lécrivain l.l. p. 20 et passim.

Saepius vitas in manuscriptis recte inter scriptores divisas esse negatum est. Mommsen[1]) totam quae vitas Heliogabali-Gordiani III continet seriem uni auctori assignat. Neque Lécrivain[2]) ei assentitur neque ego. Magnam enim inter vitas Alexandri Severi et Maximini inveni discrepantiam: alios fontes Capitolinus adhibuit, alios Lampridius; uterque sua lingua usus est.[3])

Heliogabali autem et Alexandri Severi Vitas libri manuscripti eidem auctori assignant, Lampridio scilicet. Omnes consentiunt Marium Maximum Vitae Heliogabali fontem esse praecipuum; hunc vero aequalis sui Alexandri vitam non iam litteris mandasse vulgaris esse virorum doctorum existimatio solet. Huius imperatoris vitam eo regnante quendam conscripsisse paulo post bellum Persicum, ex quo penderet Lampridius, expeditionem vero Germanicam, cum de ea exiguas tantum adnotationes praebeat, ex alio fonte derivasse neque unum fontem adiisse Lampridium existimavit Peter.[4]) Plerique Marii Maximi continuatorem extitisse contendunt.[5]) Lécrivain[6]) vero coniecit Severi Alexandri quoque vitam a Mario Maximo conscriptam esse et ex ea hausisse Lampridium. Cui autem opinioni me addicam? Unum sine dubio fontem adhibuit Lampridius; tota enim eius narratio tantopere sibi constat, ut hoc ipsi scriptori rebus prorsus aliis obnoxio tribuere non possimus. Neque crebrae repetitiones e plurium fontium usu manant, sed interdum fons, quae iam narraverat, novo contextu repetere solebat, Lampridius vero, inconsulte excerpens, a contextu ea divellit.[7]) Quod, postquam iam mortem imperatorum descripserunt, multa ex eorum vitis addiderunt qui Historiam Augustam contulerunt, quam a Suetonio

---

1) Mommsen l.l. 2) Lécrivain l.l. p. 18 sqq. 3) Cf. Klebs Rhein. Mus. N. F. 1890 p. 525. 4) Peter Die gesch. Litt. über die Röm. Kais. II p. 110. 5) Cf. Lécrivain l.l. p. 235. 6) Lécrivain l.l. p. 231 sqq. 7) Cf. Lécrivain l.l. p. 232.

asciverunt consuetudo est. [1]) Peteri quoque coniecturam reicio: nequaquam enim quae de bello Germanico tradidit Lampridius, expeditionis Parthicae narratione exiliora sunt. [2]) Mea quidem sententia optime iudicavit Lécrivain. Licet non prorsus constet Marium Maximum fontem fuisse principalem, veri tamen simillimum est: tam similis enim Heliogabali Vitae est Vita Alexandri, ut Lampridio excerpenti hoc attribui non possit, neque de Marii Maximi continuatore cogitare possimus, utpote cuius opus ab illius exemplo aliquantulum certe discrepasset. Apparet quoque fonte Lampridium usum esse de cunctis rebus penitus edocto, qui nimiis tamen laudibus Alexandrum extulit; aequalem igitur huius imperatoris eum fuisse ut credamus adducimur. Quis ergo nisi Marius Maximus fuisse possit? Quod huius nomen a Lampridio reticetur, nullo modo hanc repellit opinionem; plerique enim Historiae Augustae scriptores fontes suos principales appellare non solent. [3])

Maximi nobis momenti sunt Vitae Heliogabali et Alexandri Severi, utriusque quoniam imperatoris regnum Marius Maximus vidit. [4]) Lampridius vero multa, quae bene ille narraverat, ingenii tarditate indiligentiaque corrupit et turbavit. Accedit, quod Lampridius, Alexandri nomine Constantinum laudibus ornans, Marii Maximi vitam Alexandri Severi iure cum Cyropaedia [5]) comparatam pulchriorem etiam reddere conatus est et etiam maiore studio omnia reticuit, quae minus sive honorifica sive felicia erant, suaeque aetatis facta inseruit, quod narrationi eius fidem etiam magis ademit. [6]) Et Marius Maximus, quamquam rebus instructissimus, iudicio saepe caruit; Suetonii discipulus, vitas suas fabulis insulsis explevit, Heliogabali praesertim;

[1]) Cf. Peter Die Script. Hist. Aug. p. 113. [2]) Cf. Thiele l.l. p. 35. [3]) Cf. Lécrivain l.l. p. 235. [4]) Cf. Lécrivain l.l. p. 233 sq. [5]) Cf. Lécrivain l.l. [6]) Cf. Peter l.l. p. 14 adn. 1. Lécrivain l.l. p. 231 sq.

etsi non constat Lampridium in hac vita describenda nullos alios inspexisse fontes, [1]) cum ad Alexandri vitam conficiendam Mario Maximo contentus fuisse videatur; verba enim aliorum auctorum, quae in hac attulit, iam Marium Maximum commemorasse veri est simillimum. [2])

Manifestum iam est Lampridii vitis iuxta multa, quae maximi nobis pretii sunt, multa quoque falsa incertaque multasque ineptias contineri. Copiosissimae sunt ambae, sed Alexandri vitam diligentius animoque libenti, Heliogabali vero invitus negligenter composuit auctor. [3]) Quaecumque nullo fonte adhibito ipse narravit, fide indigna aut parvi aestimanda sunt: Capitolini interpolationes ex Herodiano et Dexippo [4]) pendent [5]).

Domaszewskii [6]) iudicium iniquissimum esse, qui contenderit Vitae Alexandri Severi testimonia tam vilia esse, ut ne conicere quidem audeat, quando quoque consilio sit ficta, iam Thiele [7]) monuit.

Vitarum Macrini Maximinique testimonia, quibus nobis opus est, maximam partem ex Herodiano sumpsit Capitolinus.

Zonaras cum inde a libro LXVIII Xiphilinum non Dionem excerpserit, ante annum 229 nobis nullius est pretii, XII 14 et 15 exceptis, quae capita nonnulla contineant, quae aliunde eum hausisse appareat quaeque Herodiani nos admoneant. [8]) Inde ab anno 229 Eusebii Historiam Ecclesiasticam Dionisque Continuatorem, qui

[1]) Cf. Lécrivain l.l. p. 210. [2]) Cf. Lécrivain l.l. p. 232. — Thiele l.l. p. 6 sqq. Lampridium, quibus locis cum Aurelio Victore Eutropioque consentit, ex communi fonte, annalibus scilicet imperatoriis (vide infra), hausisse contendit. Attamen magis adducor, ut cum Lecrivanio faciam, perhibenti (e. g. p. 228) illis locis annales imperatorios illum fontem usurpavisse ex quo praecipuo Lampridius hauserit. [3]) Cf. Klebs Rhein. Mus. N. F. 1890 p. 530. [4]) De Dexippo vide infra. [5]) Cf. Lécrivain l.l. p. 209 et 231. [6]) Westd. Zeitschr. 14, 1895, p. 63 adn. 262. [7]) Thiele l.l. p. 34 sq. [8]) Cf. Boissevain Dio Cass. III p. 477.

his locis Herodianum potissimum transscripsisse videtur, [1]) excerpsit Zonaras.

Multo maioris momenti est Zosimus I 10—13, qui Dexippum excerpsit. [2]) Dexippus, Gordiani III aequalis, qui brevi igitur post Severi Alexandri aetatem scripsit, historicus diligens veritatisque amans fuit nostrisque capitibus Dionis saepe auctoritate nititur multaque nobis reservavit, quae Xiphilinus omisit; nonnulla porro ex Herodiano contulit, nonnulla etiam nullius rerum scriptoris testimonio adiutus relata accepisse videtur. [3]) Ita fit, ut, quamquam male excerpsit Dexippum, multa tamen fide dignissima tradiderit Zosimus, quae nusquam alibi inveniuntur.

Aurelius Victor et Eutropius, qui saeculo quarto scripserunt, magna ex parte anonymi cuiusdam usi sunt libro, annales imperatorii qui vocantur, ex quibus Historia quoque Augusta nonnulla reservavit, auctoris gravis et diligentis, etsi ab erroribus cavere non semper potuit [4]), qui praeter alios rerum scriptores Lampridii quoque fontem principalem adhibuit. [5]) Neque uno fonte contentus fuit Aurelius Victor neque Eutropius; ille enim inter alia saepe Marii Maximi auctoritate nititur, [6]) hic chronographiae cuiusdam, [7]) ex qua nonnulla etiam supersunt, ut videbimus. Iniuria vero

[1]) Cf. Martin de Font. Zosimi p. 9 sqq. Schiller Gesch. der Röm. Kais. I 2 p. 701 sqq. Thiele vero p. 5 Zonaram hic ex solo Herodiano ipso hausisse putat, Callegarii Delle Fonti p. l. Stor. di Al. Sev. p. 134 sqq. sententiam secutus. Quamquam Callegarii argumentationem non legi, quia librum eius indagare non potui, tamen hanc opinionem reicere audeo. Zonaras enim nonnulla subtilius quam Herodianus persecutus est, e. g. in belli Persici narratione. [2]) Cf. Martin l.l. p. 1 sqq. Lécrivain l.l. p. 229 adn. 3. [3]) Cf. Martin l.l. p. 16 sq. Zosim. I 12 partem priorem sine dubio e Dione Dexippus excerpsit; τὸ μὲν cet. vero mihi ex Herodiano derivasse videtur. [4]) Cf. Enmann Philol. Suppl. 4, 1884, p. 337 sqq. Lécrivain l.l. p. 423 sqq. [5]) Cf. Lécrivain l.l. p. 435 sq. [6]) Cf. Lécrivain l.l. p. 437 sq. [7]) Cf. Mommsen Chron. Min. I p. 142.

Thiele [1]) Historia quoque Augusta eos usos esse arbitratur. Aurelius Victor et Eutropius quodammodo nobis usui sunt, sed breviora tantum iis testimonia debemus, quaeque nimiis Alexandrum laudibus celebrent.

Deinde Epitome de Caesaribus ignoti cuiusdam scriptoris nobis evolvenda est, cuius libri fontes nonnisi coniectura designare possumus; quae narrat fide minime sunt destituta. Duo quae nobis adeunda sunt capita ex Eutropio, Historia Augusta, imperatorum quodam catalogo, fortasse etiam ex Herodiano et Dexippo hausta esse videntur. [2])

Christianae religionis historiam nobis explicuit Eusebius in Historia Ecclesiastica. Eusebii Chronica, quorum nonnulla in sermonem Armenium versa nobis restant, Hieronymus adiit praeter multos alios fontes [3]) ut Eutropium et annales urbis, quos Eutropius quoque adhibuit. Panodori, unius e Georgii Syncelli fontibus, opus et ipsum magna ex parte ex Eusebio descendisse constat; Dexippum quoque et Africanum Panodorus excerpsit. [4]) Ita fit, ut Georgius Syncellus nova quaedam nobis tradiderit.

Orosius et Cassiodorius ex Hieronymo Eutropioque pendent. [5])

Quod ad chronographiam attinet, etiam Liber Generationis et Chronographus anni 354 satis fidi et utiles sunt; [6]) huius liber compendium esse videtur annalium urbis, quibus Hieronymus et Eutropius usi sunt.

[1]) Thiele l.l. p. 7 sq. qui etiam p. 6 adn. 2 errat: „nonnulla", inquit, „apud Aur. Vict. et Eutrop. invenio, quae in Vit. Al. Sev. frusta quaeras; itaque Lecrivanio p. 228 adn. concedere nequeo vitae fontem a Victore quoque et Eutropio adhibitum esse". Attamen nullius momenti hoc eius argumentum est, quia Vict. et Eutr. pluribus simul fontibus usi sunt. [2]) Cf. Lécrivain l.l. p. 440 sqq. Iniuria Thiele l.l. p. 9 scribit hunc librum de Alexandro ne quicquam quidem exhibere, quod operae pretium sit. [3]) Cf. Peter die Gesch. Litt. II p. 158 et 377. [4]) Cf. Peter l.l. p. 170 et 173. Mommsen Chron. Min. I p. 142. [5]) Cf. Peter l.l. p. 158 et 381. [6]) Cf. Mommsen l.l. p. 141.

Unde Polemius Silvius hauserit nescimus.[1]
Magni pretii iuris peritorum opera sunt.
Denique interdum nonnullorum auctorum testimonia adhibebimus, de quibus in loco disputabimus.

---

[1]) Cf. Mommsen l.l. p. 513 et 517.

II.

Iulia Avita Mamaea[1]) e Syria gente orta est, cuius auctor Bassianus appellatur,[2]) vir haud dubie nobilis, quippe cuius filiam Iuliam Domnam Vita Al. Sev.[3]) nobilem vocet quemque Solis sacerdotem fuisse Epitome[4]) testetur. Ex anni 217 eventis quia, ut videbimus, eius prognatos amplum Emesae locum tenuisse Solisque sacerdotium iis fortasse hereditarium fuisse[5]) apparet, iniuria de eorum nobilitate dubitat Porrath,[6]) Dionem Cassium[7]) testem adhibens, qui „ἐκ δημοτικοῦ γένους" Iuliam Domnam provenisse dixerit. Neque enim veri est simile Septimium Severum equitem, iam praetura functum,[8]) uxorem humili loco natam domum duxisse, licet eam elegerit, quod genitura ei matrimo-

---

[1]) Nummi Latini fere omnes „Iuliam Mamaeam" eam nominant, quod igitur publicum eius nomen fuisse videtur; in titulis et apud scriptores et haec forma et „Iulia Mamea" saepe leguntur. „Iulia Mammaea" quoque identidem occurrit. „Iulia Mamia" et „Iulia Mamias" nonnisi semel inveniuntur. Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 225 n. 429. Hopkins Life of Al. Sev. p. 274 sq. Thiele l.l. p. 68. „Iulia Avita Mamaea" e.g. C. I. L. II 3413. VI 31373 a. (Cf. Hopkins l.l.). Avita a patris nomine appellata est. [2]) Epit. de Caes. XXIII 2. [3]) V. Al. Sev. 5,4. Cf. V. Sept. Sev. 3,9. [4]) Epit. de Caes. l.l. [5]) Cf. Réville La Relig. à Rome s.l. Sév. p. 193 adn. 2. [6]) Porrath Der Kais. Al. Sev. p. 6. [7]) Dio Cass. LXXVIII 24,1. [8]) Cf. V. Sept. Sev. 3,3. Neque tamen, ut fecit Hopkins l.l. p. 18 adn. 3, ut eorum nobilitatem ostendamus, argumento uti possumus, quod Iulia Maesa, quam ante Iuliam Domnam matrimonium iniisse verisimile sit, consulari nupserit: Iulius Avitus enim anno 209 demum consul factus esse demonstrabitur, qui igitur hoc munus a Septimio Severo accepisse videtur.

nium regium praedixisset. [1]) Nescio an Dio hoc tantum voluerit indicare, non regis filiam eam fuisse, quod imperatoriae, quam postea nancta est, dignitati opponeret. Bassianum totius generis cognomen fuisse probabile est. [2]) Caracalla enim, Iuliae Domnae filius, saepissime Bassianus vocatur; Iuliae Maesae filia natu maior in mariti elogio [3]) Iuliam Soaemiadem Bassianam se appellat, cum Dio [4]) Alexiano, Iuliae Mamaeae filio, Herodianus [5]) Avito, alteri Maesae nepoti, hoc nomen attribuat. [6])

Bassianus, Solis sacerdos, pater [7]) erat Iuliae Mamaeae Maesae,[8]) quae, Emesa ex urbe Syriae oriunda,[9]) Iulio Avito [10]) nupsit. Cum altera eius filia Syra vocetur, [11]) post matrimonium Iuliam Maesam per aliquot annos in patria mansisse ibique filias eius, [12]) Iuliam Soaemiadem [13]) et Iuliam Mamaeam, natas esse statuere possumus.

Iuliae Mamaeae, natu minoris, [14]) annum natalem ignoramus. Cum anno 206 vel iam ante hoc tempus nupserit et filius eius, quem ex secundo marito peperit, anno 208 natus sit, [15]) veri est simillimum eam circiter anno 190 vel brevi ante in lucem editam esse. [16])

---

[1]) Cf V. Al. Sev. 5,4. V. Sept. Sev. 3,9. [2]) Cf. Groebe in Pauly-Wissowa R. E. II p. 2526. [3]) C. I. L. X 6569. [4]) Dio Cass. LXXVIII 30,3. [5]) Herod. V 3,3. [6]) Iniuria igitur Porrath l.l. p. 7 et Réville l.l. p. 238 Avitum postea, cum Caracallae filius haberi vellet, Bassianum se appellasse putant. [7]) Epit. de Caes. XXIII 2. [8]) Hoc plenum eius nomen fuisse testantur nummi in urbe Troianorum cusi. Cf. Thiele l.l. p. 67. Plerumque Iulia Maesa appellatur. Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II n. 446, p. 229 sq. In Historia Augusta Varia quoque dicitur, quod nomen in nummis inscriptionibusque non invenimus. Fortasse id postea Romae a nepote suo accepit (Vide infra). [9]) Dio Cass. LXXVIII 30,3. Herod. V 3,2. V. Macr. 9,1. [10]) Dio Cass. LXXVIII 30,2. LXXIX 16,3. [11]) Dio Cass. l.l. Eutrop. VIII 22. Hieronym. Chron. ad ann. 221. [12]) Dio Cass. LXXVIII 30,2. Herod. V 3,2. V. Macr. 9,1. [13]) De eius nomine cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 230 sq. n. 457. [14]) Herod. V 3,3. V. Macr. 9,2. [15]) Vide infra. [16]) Bernoulli quoque Röm. Ikonogr. II 3 p. 108 idem fere conicit.

Anno autem 193 Septimio Severo imperatore creato [1]) Iulia Maesa e Syria discessit et cum filiabus suis in Iuliae Domnae principis uxoris, sororis suae, aulam se contulit. [2]) Iam parva igitur Iulia Mamaea Romam venit, ubi eam, ut consobrini eius Caracalla et Geta, [3]) ingenue et liberaliter educatam esse mihi persuasum est, quoniam adulta aetate rari animi cultus documenta dedit.

In Digestis [4]) Ulpiani legimus testimonium, ex quo, quod equidem sentiam, bis eam matrimonium iniisse [5]) et primum quidem cum viro consulari concludere necesse est. Cum autem filii eius patrem Gessium Marcianum procuratorem, equestris igitur dignitatis, fuisse dicat Dio Cassius [6]), neque memoret postea eum ad senatoriam dignitatem perductum esse [7]), cum praeterea appareat, post Gessii Marciani mortem ante annum 217 secundas nuptias ei non attribuisse Dionem [8]), Gessius Marcianus sine dubio secundus ille erat maritus, de quo nobis narrat Ulpianus. Cum filius eius anno 208 natus sit [9]), anno igitur 207 aut brevi ante iterum

---

[1]) Dio Cass. LXXIII 17,4. Herod. II 12,6. V. Sept. Sev. 6,1 sq. [2]) Dio Cass. LXXVIII 30,3. Herod. V 3,2. V. Macr. 9,1. [3]) Dio Cass. LXXVII 11, 2–3. [4]) Digesta I 9, 12: „Nuptae prius consulari viro impetrare solent a principe, quamvis perraro, ut nuptae iterum minoris dignitatis viro nihilominus in consulari maneant dignitate, ut scio Antoninum Augustum Iuliae Mamaeae, consobrinae suae, indulsisse". [5]) Ad dignitatem servatam, cum senatoris filia equiti nupserit, hoc spectare Mommsenio St. R. III p. 468. Dessavio Prosop. Imp. Rom. II p. 117 n. 104. Hopkinsio l.l. p. 25 adn. 4 concedere nequeo. De secundo matrimonio agere Ulpianum manifestum est. [6]) Dio Cass. LXXVIII 30,3. [7]) Quod tamen eodem loco disertis verbis de Vario Marcello, Iuliae Soaemiadis marito, narrat, ut mirum esset, si de Gessio Marciano id omisisset. [8]) Cf. Dio Cass. LXXVIII 30,4 cum 30,3. Antequam Gessio Marciano nupserit, alterum etiam maritum eam habuisse, quia de eo tacet Dio, minus probabile non fit; de vita enim Iuliae Mamaeae anteriore non loquitur. [9]) Vide infra.

matrimonium contraxerit Iulia Mamaea, sententiam sequi necesse est Mommsenii [1], qui Ulpianum, quippe qui Caracalla imperatore scripserit, decretum, quod Septimius Severus ac Caracalla coniunctim [2] edixerint, huius tantum sub nomine litteris tradidisse putat.

Ulpianus igitur unicus nobis auctor exstat de hoc priore, cui senatoriam attribuit dignitatem, marito, qui anno 206 aut iam ante hoc tempus eam uxorem duxit, nam anno 207 aut brevi ante, ut vidimus, Iulia Mamaea nupsit Gessio Marciano, Phoenici Arca Caesarea oriundo [3], equestris dignitatis, cum ipsa beneficio imperatorio in consulari maneret dignitate. [4] Fratrem Arvalem anni 213 [5], M. Iulium Gessium Bassianum, eundem fuisse veri non simile est, quia senatoriae fuisse eum dignitatis necesse est; nomen quoque aliquantulum differt. Propinquum eum fuisse existimo.

Mentionem fecit Dio [6] Gessii Marciani filiae, quae, anno 218 iam nupta, nata igitur ante annum 206, e Iulia Mamaea suscepta esse non potest, neque Dionem, utpote qui „θυγατέρα τοῦ Μαρκιανοῦ", non „τῆς Μαμαίας", quamquam ille tunc mortuus iam erat, eam appellaverit, aliud dixisse apparet. Gessius igitur Marcianus et ipse iam antea alterum matrimonium inierat eumque aliquot annis Iulia Mamaea natu maiorem fuisse conicere cogimur.

Matrimonio contracto Iulia Mamaea cum Gessio Marciano in communem eorum patriam profecta esse videtur; filium certe eius Arcae Caesareae natum esse

---

[1] Mommsen St. R. III p. 468. Iniuria Tillemont Hist. des Emp. III p. 165 et Réville l.l. p. 260, revera sub Caracalla decretum hoc editum esse existimantes, Gessium Marcianum priorem maritum fuisse concludunt. [2] Septimius enim Severus anno demum 211 mortuus est. Cf. Dio Cass. LXXVI 15,2. Herod. III 15,3. V. Sept. Sev. 19,1. [3] Dio Cass. LXXVIII 30,3. [4] Digesta l.l. [5] Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 195 n. 230. p. 117 n. 104. [6] Dio Cass. LXXVIII 31,4.

constat [1], quem Kalendis Octobr. [2] anni 208 [3] in lucem edidit. Alexiano [4] nomen ei inditum est. Epitome [5] vero et Polemius Silvius [6] Marcellum eum appellant. Utrum hoc verum sit necne efficere non possumus. Lampridius [7], quo die Alexander Magnus ex vita excesserit et in eiusdem templo, quo cum marito sollemnitatis implendae causa se contulisset, peperisse eam et hanc ob causam filium Alexandrum nominasse contendit. Sed cum Alexianum revera hoc die [8] natum non esse constet, totum hoc testimonium fide indignum esse mihi videtur, praesertim Dione [9] et Herodiano [10] narrantibus, adoptato demum ab Antonino nomen Alexandro ei inditum esse, quod veri multo similius est. Epitome [11] quoque postea demum eum Alexandrum dictum esse tradit. Dubitat nemo, quin rumor, a Iulia Maesa postea sparsus, quasi Mamaea nondum nupta cum Caracalla consuetudinem habuisset, cuius filius spurius esset Alexianus, ementitus sit. Dio [12] enim fictum eum esse dicit; Herodianus non plane sententiam suam aperit; non magis tamen ei credidisse videtur [13]. Quod Varii filius dicitur in Vita

---

[1] V. Al. Sev. 1,2. Aur. Vict. Caes. XXIV 1. Georg. Sync. p. 673. Iulian. Caes. p. 402 Hertl. [2] Cf Silvii ac Philocali Fastos C. I. L. I^2 p. 255. 274. [3] Herod. V 3,3. 7,4. Epit. de Caes. XXIV 4. Dio Cassius quoque LXXIX 20,2 testimonio sit, si, quod probabile est, consobrino quattuor annos natu minorem fuisse Alexianum ut ceteri fontes existimaverit. V. Al. Sev. 60,1 anno 205 eum natum esse videtur indicare, sed falsus omnino, ut videbimus, mensium numerus monet, ne nimium annorum numero tribuamus. Cf. Groebe l.l. p. 2528. Klebs Prosop. Imp. Rom. I p. 215 n. 1303. Bernoulli l.l. p. 97. Wirth l.l. p. 41 sq. Porrath l.l. p. 10 sq. [4] Herod. V 3,3. De nomine Bassiano apud Dionem Cass. LXXVIII 30,3 vide p. 12. [5] Epit. de Caes. XXIII 4. [6] Chronica Minora ed. Mommsen I p. 521. [7] V. Al. Sev. 5,1—2. [8] Medio circiter mense Iunio. Cf. Porrath l.l. p. 10. [9] Dio Cass. LXXIX 17,3. [10] Herod. V 7,3. [11] Epit. de Caes. XXIII 4. [12] Dio Cass. LXXIX 19,4. [13] Herod. V 5,10. 7,3.

Al. Sev. [1], errori haud dubie tribuendum est. [2] Quae omina nascens habuisse perhibetur [3], fide indigna sunt.

Praeter Alexianum Iulia Mamaea nullos liberos habuisse videtur. Capitolinus [4] filiam memorat natu minorem Theocliam, sed hoc ab eo fictum esse apertum est, quoniam epistula, quam affert, adulterina est. [5]

Pueritiam Alexianus cum matre transegit inter Phoenices [6], ubi omnes curas suas Iulia Mamaea in eius educationem contulit. Litteratores eius in prima pueritia fuerunt Valerius Cordus, Titus Veturius, Aurelius Philippus, patris eius libertus; deinde, in patria quoque, grammaticus Graecus Neho, Serapio rhetor, Stilo philosophus eum docuerunt. [7] Artibus quoque militaribus eum imbuendum curavit mater [8].

Anni 217 res gestas quo loco exponit Dio, Gessium Marcianum tunc, procuratione functum, mortuum iam fuisse tradit [9]. Quo autem anno de vita discesserit, dici non potest, neque utrum tunc Iulia Mamaea in Syria remanserit an ad matrem suam Romam reverterit. Utcumque res se habet, anno 217 cum matre et sorore in patria reducem eam reperimus.

Iulia Soaemias nupta fuit Vario Marcello Apameo, [10] qui item anno 217 iam diem supremum obierat. [11]

---

[1] V. Al. Sev. 1,2. [2] De Iuliae Soaemiadis marito, Vario Marcello, fortasse cogitatum est. [3] V. Al. Sev. 13 et 14. [4] V. Max. 29,1. [5] Cf. Lécrivain l.l. p. 83. [6] Quod e V. Al. Sev. 3,2 colligendum esse mihi videtur. [7] V. Al. Sev. 3,2. Iniuria Thiele l.l. p. 38 hunc locum fide dignum esse negat propter verba „in patria", cum etiam primis verbis de Alexandro in patria educato agatur, et ob Caracallae vel Elagabali mentionem. Attamen verba „in patria" addita esse, ut distinguantur „Romae grammatici", de quibus mox loquetur Lampridius, manifestum est; Caracallae vel Elagabali mentionem frustra quaero, nisi vocem „patris" designat Thiele; at Gessium Marcianum hac indicari luce clarius est. [8] V. Al. Sev. 3,1. [9] Dio Cass. LXXVIII, 30,4. [10] Dio Cass. LXXVIII 30,2. [11] Dio Cass. LXXVIII 30,4. C. I. L. X 6569.

Quorum filius Avitus [1] anno 204 [2] natus est. [3] Eam ante matrimonium cum Caracalla consuetudinem habuisse fortasse recte vulgatum est, quippe quae liberius semper vixerit; filium vero huius imperatoris fuisse Avitum, hoc quoque ficti tantum rumores postea voluerunt. [4]

Iulia Maesa Septimio Severo, deinde Caracalla imperatore Romae in aula remansit. [5] Maritus eius consulatum obtinuit [6] anno, ut veri est simillimum, 209 [7]. Caracalla regnante magnis honoribus in Asia et in Mesopotamia functus est, deinde Cypri, ubi brevi ante annum 217 diem supremum obiisse videtur [8].

Postridie Non. April. Caracalla ad Carrhas interfectus est [9] et Iulia Domna, rerum potiri frustra

---

[1] Dio Cass. l.l. Herod. V 3,3. (de nomine Bassiano vide p. 12). V. Macr. 9,2. Recte eum in V. Hel., V. Al. Sev., Epit. de Caes. XXIII 1 Varium appellari veri est simile, quod patri eius Vario nomen erat. Perperam vero V. Hel. 10,1 hoc nomen ab avia eum accepisse contendit. [2] Dio Cass. LXXIX 20,2. Herod l.l. [3] Iniuria igitur Dexippus (V. Al. Sev. 49,5. Georg. Sync. p. 673) patruum fuisse Alexiani Avitum putavit. [4] Quod affirmat Dio Cass. LXXVIII 31,3, qui consuetudinem cum Caracalla habitam tacendo praeterit. Herodianus quoque fictum esse rumorem videtur putasse; cf. V 3,10. 7,3. V. Macr. 9,4. Annales imperatorios atque Marium Maximum huic fabulae fidem habuisse Lecrivanio l.l. p. 201 concedere nequeo; hoc tantum voluisse videntur, dictum quidem patrem Aviti Caracallam fuisse, se tamen hanc famam aspernari, quamvis Soaemiadem „stupro cognitam" haberent. Cf. V. Hel. 1,4. 2,1. 2,3. Eutrop. VIII 22. Hieronym. Chron. ad ann. 219. Parum accurate hoc legerunt V. Carac. 9,2. Aur. Vict. Caes. XXIII 1, qui revera Caracallam Aviti patrem fuisse perhibent. Epit. de Caes. XXIII 1 quoque hunc errorem in se admittit. Zosim. I 10 vero recte Caracallae matri propinquum fuisse Avitum dicit. [5] Dio Cass. LXXVIII 30,3. Herod. V 3,2. [6] Dio Cass. LXXVIII 30,1. [7] Anno 209 Avitus quidam consul fuit (Cf. Pauly-Wiss. R. E. II p. 2395), quem eundem fuisse atque Iuliae Mamaeae patrem pro certo habeo. [8] Dio Cass. LXXVIII 30,4, „ὤφθη" Boissevanii coniectura in „ἔφθη" mutato. [9] Dio Cass. LXXVIII 6,5. Herod. IV 13. V. Carac. 6,6. 7,1. De die vide infra in Capite III.

conata [1], mense Maio vel Iunio Antiochiae sibi mortem conscivit. [2]) Macrinus imperator creatus Iuliam Maesam Roma abire Emesamque in patriam se conferre iussit, ubi haec cum filiabus atque nepotibus domicilium constituit. [3]) Opes, quas Romae collegerat, retinuit. [4])

[1]) Dio Cass. LXXVIII 23, 3—4. [2]) Dio Cass. LXXVIII 23, 6. Herod. VI 13, 8. [3]) Dio Cass. LXXVIII 30, 3. Herod. V 3, 2—3. V. Macr. 9, 1. V. Hel. 2, 3. Aur. Vict. Caes. XXIII 1. [4]) Herod. V 3, 2. V. Macr. 9, 1.

III.

Emesae autem consobrinorum educationem persequebantur matres et avia [1]). Avitus Elagabali sacerdos maximus factus est [2]), et Alexianus [3]) quoque sacratus est huic Solis deo Orientali, cuius imaginem lapidem nigrum, cono similem, in templo magno pretiosoque tibiis canentibus saltans atque immolans colebat sacerdos [4]). Avitus pulchritudine ac statura conspicuus [5]), omnium, qui his caeremoniis aderant, legionis praecipue, quae prope ab Emesa collocata erat, oculos ad se convertebat, et milites templum frequentabant, ut puerum saltantem viderent [6]). Hanc ob causam Iulia Maesa, mulier maxime ambitiosa in spem venit genus suum rerum potiri posse. Rumorem spargere coepit, Avitum, quamquam Varii Marcelli filius haberetur, revera e Caracalla ortum esse, Romae enim in aula cum hoc consuetudinem habuisse Iuliam Soaemiadem.[7])

[1]) Herod. V 3,3. [2]) Herod. V 3,4. V. Hel. 1,5. 2,3. Aur. Vict. Caes. XXIII 1. Eutrop. VIII 22. Oros. VII 18,5. Hieronym. Chron. ad ann. 219. Proavus quoque eius cum Solis sacerdos fuerit, hanc dignitatem generi eorum hereditariam fuisse veri est simillimum, praesertim cum antea hereditariam fuisse eam certum sit. Cf. Dio Cass. LIV 9. Hopkins l.l. p. 16 adn. 5. Postquam regum Syriae, qui e Seleuci stirpe fuerunt, regnum comminutum est, sacerdotes illi nullius imperio fuerunt subiecti. Cf. Strabo XVI 10—11. Réville l.l. p. 193 adn. 2. [3]) Herod. l.l. [4]) Herod. V 3, 4—6. [5]) Herod. V 3,7. V. Macr. 9,3. [6]) Herod. V 3,8. V. Macr. l.l. [7]) Dio Cass. LXXVIII 31,3. Herod. V 3,11. V. Macr. 9,4. V. Hel. 1,4. Eutrop. VIII 22.

Quod addit Herodianus, de Iulia Mamaea eodem tempore eam hoc vulgasse, fide indignum est, quod postea demum, cum utilitatem haberet, eam sic dixisse, ut Dio Cassius narrat, [1]) manifestum est. Caracallae, cuius memoriam cum caritate colebant, filium esse Avitum omnibus mox notum erat militibus ad credendum propensis; et per omnium ora ferebatur Iuliam Maesam, divitiis abundantem, prompto animo larga praemia dare paratam fore, si imperium eius generi redderetur. [2]) Herodiano fides est habenda de dolis mulieris scribenti, etsi de iis Dio Cassius tacet. Latere neque milites instigasse videri eam voluisse apparet, ut Dioni, causis magis reconditis non initiato neque, ut saepius videbimus, Iuliae Maesae astutiam perspicienti, nulla eius opera omnia accidisse viderentur. Eutychianum quendam, ut ex Dionis [3]) narratione apparet, palam agere iubebat, qui cognita militum inclinatione mense Maio anni 218 [4]) paucis consciis noctu Avitum in castra ducere ausus est. [5]) Hic Dionis Herodianique testimonia dissentiunt. Dio enim Eutychianum matre et avia Aviti insciis hoc perpetrasse dicit, quod ipsum mirum videtur. [6]) Iterum causas magis reconditas cognovisse Herodianum, qui instigante Maesa hoc factum esse mulieresque una cum puero in castra venisse dicat, persuasum mihi habeo. Atqui cum Dio Cassius minus occulta horum temporum eventa optime cognoverit, quippe qui narret res, quas, ut erat veritatis appetens, finxisse non possit, hoc modo res gesta esse videtur. Nil se scire Iulia Maesa tunc quoque simulavit, etsi

[1]) Vide infra. [2]) Herod. V 3,11. V. Macr. 9,5. [3]) Dio Cass. LXXVII 31, 1–2. Iniuria vero rumorem ab Eutychiano fictum esse contendit. [4]) Secundum Dionem Cass. LXXVIII 31,4 nocte, quae inter Id. Mai. insequentemque diem intercessit; sed non omnino hoc testimonio niti possumus, quia, ut videbimus, Dio dierum rationem computans nonnullis erroribus obnoxius est. [5]) Dio Cass. LXXVIII 31, 2–4. Herod. V 3, 11–12. V. Macr. 9,6. [6]) Cf. Tillemont l.l. p. 159.

re vera omnia ea instigante facta sunt. Filias quoque eius ignaras non fuisse veri est simile. Nocte autem constituta Avitus dicis causa primum solus Eutychianum comitatus est; mulieres vero mox secutae sunt, fortasse iam Id. Mai; mox enim eas in castris reperimus. [1]) Milites Avitum libentissimo animo receperunt, a Macrino defecerunt, imperatorem salutaverunt puerum, ad obsidionem perferendam paratos se esse dixerunt. [2]) Iuliam Mamaeam cum filio his et proximis rebus affuisse conicio. Ei imprimis ex iis dolor ortus est. Iulianus enim, praefectus praetorio, qui non longe aberat, legionem seditiosam subigere parans, Iuliae Mamaeae privignam cum marito, quos in sua potestate habuisse videtur, interfecit, [3]) vindictae sic initium faciens.

Sed castrorum obsidio minime ei successit, cum militibus oppugnantibus praemia proponerent ii, qui in castris erant, et Avitum ostenderent, Caracallae effigie cum eo collata similem esse utrumque persuadentes; unde factum est, ut mox omnis exercitus Iuliano occiso ad Avitum transierit. [4])

Macrinus, qui usque ad id tempus periculum parvi aestimaverat, tunc quoque cunctabatur [5]); paulatim vero pluribus ab eo copiis deficientibus [6]) postremo proelium contra Avitum, qui iam tamquam Caracallae filius M. Aurelium Antoninum se appellaverat [7]), paravit. [8]) Antoninus, obsidione non exspectata, festinanter signa movit nec longe ab Antiochia proelium commissum est, [9]) a. d. IV Non. Iun. anni 218, ut aptissime

[1]) Dio Cass. LXXVIII 38,4. [2]) Dio Cass. LXXVIII 31,4. Herod. V 3,12. V. Macr. 9,6. Amm. Marcell. XXVI 6,20. Errat igitur Zosimus I, 10. [3]) Dio Cass. LXXVIII 31,4. [4]) Dio Cass. LXXVIII 32, 1–3. Herod. V 4,3—4. V. Macr. 10, 1–2. [5]) Dio Cass. LXXVIII 34,2. [6]) Dio Cass. LXXVIII 34–35. [7]) Dio Cass. LXXVIII 32,2. [8]) Dio Cass. LXXVIII 34,6. Herod. V 4,5. [9]) Dio Cass. LXXVIII 37,3. Herod. V 4, 5–6. V. Macr. 10,3. Zosim. I 10.

Thiele comprobavit. [1]

[1] Thiele l.l. p. 61 sqq. recte monet Dionis indicia, ex quibus narrat, quo die Septimius Severus mortuus sit et quam diu imperatores, qui post eum regnaverint, in imperio manserint, bona esse, ultimumque praecedentis imperatoris diem nunquam ad tempus insequentis eruendum computatum esse, neque laterculum, quo usus est Dio, Macrinum quarto demum post Caracallae mortem die imperium iniisse (cf. Dio Cass. LXXVIII 11,4) respexisse; hoc enim si conicimus, eosdem invenimus dies, qui in aliis quoque fontibus nobis occurrunt, tam quod ad mortis diem Caracallae (Dio Cass. LXXVI 15,2 pridie Non. Febr. anni 211 Sept. Severum mortuum esse dicit; inde a Non. igitur Febr. Caracalla imperavit, et quidem annos 6 menses 2 dies 2 Dione LXXVIII 6,5 auctore; Carac. igitur occisus est postr. Non. Apr. anni 217, quod congruit cum V. Carac. 6,6), quam quod ad dies mortis Antonini et Sev. Alexandri attinet, ut in loco videbimus. Macrinus cum Dione LXXIII 41,4 teste regnaverit annum 1 mensem 1 dies 27, quod igitur inde ab a. d. VII Id. Apr. computatum est, cladem accepit a. d. IV Non. Iun. anni 218. — Anni indicia invenimus quoque apud Hieronym. Chron., Oros. VII 18,4, Cassiod. Chron. et in nummis inscriptionibusque. — Nec tamen cum Thielio facio exponenti, quas causas duorum Dionis errorum extitisse existimat. Dio enim LXXVIII 5,4 suis ipsius, quae memoravimus, testimoniis obloquens, Caracallam a. d. VI Id. Apr. occisum esse dicit. Quomodo Thiele l.l. p. 63 hunc diem cum eo, quo Macrinus victus est, confusum esse censeat, mihi quidem non liquet; ipse enim Thiele l.l. p. 64 diem, quo cladem sustinuit Macrinus, erutum esse putat addito ad a. d. VI Id. Apr. dierum numero, quibus imperium gessit. Alter Dionis error est, quod, postquam LXXVIII 41,4 Macrinum annum 1 mensem 1 dies 27 regnasse et LXXVIII 41,4 quarto demum post Caracallae mortem die, i. e. igitur a. d. III Id. Apr. anni 217, imperium iniisse dixit, LXXVIII 39,1 Macrinum a. d. VI Id. Iun. anni 218 cladem accepisse narrat. Thiele autem l.l. p. 64 „Hosce", inquit „numeros (a. d. VI Id. Iun. scilicet et a. d. III Id. Apr.) si alium ab alio deduxeris, discrimen efficitur anni 1 mensis 1 dierum 27". Immo efficitur, si ut Romani solebant deducis, discrimen anni 1 mensis 1 dierum 29. Itaque rursus hic Dio in se admisit errorem, qui non eo tantum, ut Thiele contendit, explicari potest, quod fontem suum neglexisse non viderit intervallum interpositum, antequam imperium inierit Macrinus; eruisset enim postr. Non. Iun. cladem accepisse Macrinum. Ergo si Thielio auctore arbitramur, Dionem dies, quibus singuli impe-

Principio autem Macrini res superior erat, cum praetoriani fortiter pugnarent, [1] Antonini vero milites mox animo deficerent et ordinibus egrederentur. [2] Maesa vero et Soaemias fugientes retinuerunt et Antoninus, divino quodam instinctu incitatus, in medios hostes impulit equum, quem secuti omnes proelium renovarunt. [3] Nihilominus fortasse cladem accepissent, nisi maior Macrini exercitus pars segniter re gesta ad adversarios transfugisset, [4] quo viso ipse Macrinus tandem retro iter vertit. [5] Brevi post Archelaide occisus est. [6]

Antoninus autem ab omnibus Macrini copiis imperator salutatus, [7] Romae, ubi brevi ante Macrini epistula accepta tam ei quam aviae, matri, materterae, consobrino eius bellum indixerat senatus, [8] publice tunc princeps appellatus sollemnibusque titulis ornatus est. [9] Invitus hoc fecit senatus [10]; populus vero,

ratores mortui sint, eruisse numeris computatis, quos in fonte suo inveniebat, bis eum mirum in modum erravisse credere cogimur. Veri fortasse similius est praeter bonum laterculum, ex quo imperatorum numeros hauserit, altero etiam Dionem usum esse fonte non ab omni vitio vacuo, qui dies ei praebuerit.

[1] Dio Cass. LXXVIII 37,4. Herod. V 4,8. [2] Dio Cass. LXXVIII 38,4. [3] Dio Cass. l.l., cuius narratio Herodiani V 4,6, Antoninum statim superiorem fuisse contendentis, veri mihi videtur similior. [4] Herod. V 4, 6 et 8. V. Macr. 10,3. [5] Dio Cass. LXXVIII 38,4. Herod. V 4,7. V. Macr. 10,3. Zosim. I 10. [6] Dio Cass. LXXVIII 39, 2—40, 2. Herod. V 4, 11—12. V. Macr. 10,3. Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 147). Hieronym. Chron. ad ann. 218. Cassiod. Chron. ad ann. 218. Georg. Sync. p. 672. Oros. VII 18,3. [7] Herod. V 4,9—5,1. [8] Dio Cass. LXXVIII 38,1. [9] Dio Cass. LXXIX 2, 2—5. Herod. V 5,2. V. Hel. 3,3 et praeterea nummi et inscriptiones. Pridie Id. Iul. inter sodales Antoninianos cooptatus est (cf. C. I. L. VI 2001) et inter sacerdotes in aede Iovis Propugnatoris consistentes (cf. C. I. L. VI 2009), paulo ante Idus easdem inter fratres quoque Arvales (cf. Henzen Act. Arv. p. CCVI adn. 15). [10] Dio Cass. LXXIX 2,5. Herod. V 5,2. Iniuria V. Hel. 3,1—3,3. Eutrop. VIII 22 senatum quoque gavisum esse contendunt.

milites praecipue, avidi novum illum imperatorem exspectabant. [1])

Maesa et Soaemias Augustae nomen acceperunt, quod ab eo inde tempore in earum nummis atque inscriptionibus legimus. [2]) Iniuria nonnulli auctores [3]) iam tunc Alexianum Caesarem nuncupatum esse putant, quod revera aliquot annis interlapsis accidisse constat. [4])

Antoninus sive Elagabalus, ut vulgo a dei sui nomine appellatur, postquam quominus Antiochiam diriperent praemiis milites retinuit [5]), omnibus rebus in Oriente ordinatis [6]) Iulia Maesa, quae Romam in aulam redire cuperet [7]), urgente cum tota familia iter ingressus est. [8])

In Bithyniam postquam se contulerunt, Nicomediae hibernarunt [9]). Iam hic aviae obsecrationes nil curans tali modo se gessit Antoninus, ut militibus vehementer displiceret [10]) eosque facti sui paeniteret et in Alexianum inclinarent animos. [11]) Veri igitur est simile iam in hac quae inter annos 218 et 219 intercessit hieme aemulationem inter consobrinos et inter matres eorum ortam esse.

Deinde per Thraciam, Mysiam, Pannoniam Romam petiverunt [12]), ubi anno igitur 219 Iulia Mamaea cum filio suo in palatio se collocavit.

Antoninus a rerum scriptoribus per contumeliam

---

[1]) Quod quia cum populi moribus congruit, rectius id V. Hel. 3,1. Eutrop. VIII 22 auctoritate nisi pro vero accipimus, quam populum aegre tulisse, ut dicit Herod. V 5,2. [2]) Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 446 et 457. [3]) V. Hel. 5,1. V. Al. Sev. 1,2 (cf. tamen 64, 4–5). V. Macr. 4,1. Aur. Vict. Caes. XXIII 1, fortasse etiam Eutrop. VIII 22. [4]) Herod. V 7,4, quocum consentiunt nummi titulique, qui eum adoptatum demum Caesarem appellant (vide infra). [5]) Dio Cass. LXXIX 1,1. [6]) Dio Cass. LXXIX 3,1. Herod. V 5,1. [7]) Herod. l.l. [8]) Dio Cass. l.l. Herod. V 5,3. [9]) Dio Cass. LXXIX 3, 1–2. 7,3. Herod. l.l. [10]) Herod. V 5, 3–5. V. Hel. 5,1. [11]) V. Hel. 5,1. [12]) Dio Cass. LXXIX 3,2.

unus ex indignissimis imperatoribus appellatus est [1]). Sed, ut iure monet Réville, [2]) non viderunt effrenationes eius maximam partem Syros mores esse in nimium auctos. Mystica natura eius Orientalis Romam translata depravata est, quippe quae nonnisi domi crescere potuisset et cui principatus perniciosissimus fuerit. Romani nil habebat neque Romanus videri volebat. Ante omnia sacerdos remanebat Elagabali, cuius lapidem Romam transtulit, cui iuxta aedes imperatorias templum fecit. [3]) Matrem eius et aviam cum eo sacra cantasse carmina arcanaque sacrificia immolasse narrat Dio. [4]) Iuliam Mamaeam quoque et Alexianum principio his affuisse caeremoniis probabile est. Romanorum animi offendebantur, non propter novum cultum, quem induxerat Antoninus, sed quod deum suum Iovi ipsi anteposuit et ipse eius sacerdos esse voluit [5]); omnia Romanis veneranda in Elagabali transtulit templum; omnium religionum conciliationem cupiebat, Christianorum quoque et Samaritanorum, sed ita, ut Elagabalus praeter ceteros coleretur. [6]) Christianis igitur Antonini imperium pacis tempus fuit principis indulgentia, cuius ratio eo quoque iis profuit, quod cultus Orientalis animis eorum, qui Romae novas religiones desiderabant, displicebat. [7])

Antoninus dies degere solebat partim in templo occupatus, partim in circo aurigans propinquis suis omnibusque nobilibus Romanis spectantibus [8]); partim variis rebus deditus tam insolitis, ut vel Romae incolis inauditae essent. [9]) Inter alia Hierocli nupsit

---

[1]) Dio Cass. LXXIX 3,3 et passim. Herod. V passim. V. Hel. passim. V. Macr. 15,2. Aur. Vict. Caes. XXIII 1. Eutrop. VIII 22. [2]) Réville l.l. p. 251. [3]) Dio Cass. LXXIX 11,1. Herod. V 5,9. V. Hel. 1,6–3,4. Aur. Vict. Caes. XXIII 1. Chronogr. anni 354 l.l. Hieronym. Chron. ad. ann. 220. [4]) Dio Cass. LXXIX 11,3. [5]) Dio Cass. LXXIX 11,1. [6]) V. Hel. 3, 4–5. [7]) Cf. Aubé les Chrét. de l'Emp. Rom. p. 293 sq. [8]) Dio Cass. LXXIX 14,2. [9]) Dio Cass. LXXIX 3,3. V. Hel. passim.

Cari [1]), quem, quamquam male tractatus ab eo, muliebri amabat amore, neque avia obsistente militibusque offensis se ab eo seiungere volebat. [2])

Matrem quoque dilexisse videtur; Iulia Soaemias fortasse sola indolem eius intellegere poterat, utpote quae ipsa eius simillima esset; pari quoque Orientali licentia utebatur. [3])

Regni administratione quoad poterat abstinebat Antoninus; amicos suos in senatum legebat summaque iis deferebat munia. [4]) Adorari se iubebat [5]) immensasque summas effundebat. [6]) Ceteroquin revera Iulia Maesa regnabat nec Soaemias regni administrandi expers erat. Lampridius, [7]) ubi primum diem senatus haberet, matrem suam in senatum rogari eum iussisse narrat, quod inauditum erat. Hoc testimonium imperfectum est: Maesa quoque affuit, quin primas egit partes [8]). Dione [9]) enim teste post nonnullos annos utraque mulier in senatu affuit; et ipse Lampridius [10]) tradit eum, cum ingrederetur vel castra vel curiam, aviam suam induxisse, ut eius auctoritate honestior fieret, quia per se nihil posset. Iuliam Mamaeam his temporibus senatui interfuisse veri mihi non videtur simile. Mulierum vero fortasse frequentavit senatum, ubi Soaemiade auctore facta sunt senatus consulta de legibus matronalibus. [11]) Sed sine dubio se ipsam et filium suum cohibuit a festis illis immoderatis multaque, quae acciderunt, aversata est, quippe quae per totam vitam singularem illis temporibus verecundiam et cas-

---

[1]) Dio Cass. LXXIX 15,1. V. Hel. 6,5. [2]) Dio Cass. LXXIX 15,4. [3]) V. Hel. 2,1. [4]) V. Hel. 6, 2–11, 1. 12, 1. Herod. V 7, 6–7. C. I. L. VI 3839. [5]) V. Al. Sev. 18,3. [6]) V. Hel. passim. [7]) V. Hel. 4, 1–2. [8]) Réville l.l. p. 253 adn. 1 Maesam solam in senatu affuisse putat. Mihi vero rectius videor existimare Iuliam Soaemiadem quoque interfuisse, quamquam mater eius omnia administraret; hoc si ponimus, V. Hel. locus imperfectus tantum est. [9]) Dio Cass. LXXIX 17,2. [10]) V. Hel. 12,3. Cf. etiam 15,6. [11]) V. Hel. 4, 3–4.

titatem servaverit. [1]) Ante omnia maternum nomen in deliciis habebat [2]); et diligenter Romae quoque filii sui educationem tuebatur; docuerunt eum grammaticus Scaurinus, rhetores Frontinus, Baebius Macrianus, Iulius Granianus. [3])

Minime igitur cum proximorum natura moribusque, si matrem excipias, cuius acrem animum ambitionemque in se receperat, eam congruisse apparet. Fortasse amicitia quaedam Iuliae Mamaeae cum Aquilia Severa intercessit, quam Vestalem, contra omnium Romanarum religionum sacratissimam ab Antonino domum ductam, mox reiectam, deinde reductam, [4]) afflictam neque in palatio, ubi a Vestae templi sanctitate avulsa vivere coacta erat, ullius gaudii participem Iuliae Mamaeae artius se adiunxisse veri mihi videtur simillimum. [5])

---

[1]) Euseb. H. E. VI 21. Herod. VI 1,5. V. Al. Sev. 14,7. [2]) Cf. Réville l.l. p. 258 sqq. [3]) V. Al. Sev. 3,3. De hoc loco vide p. 16 adn. 7. „Scaurinus Scaurini filius", quod nomen Thiele l.l. p. 38 corruptum esse iudicat, filius „Scaurini Scauri filii", qui V. Veri 2,5 nominatur, fuisse potest. [4]) Dio Cass. LXXIX 9, 3–4. Herod. V 6,2. V. Hel. 6,5. Anno quarto Aegyptiaco imperii sui (i. e. intra a. d. IV Kal. Sept. anni 220 et a. d. V Kal. Sept. anni 221) Aquiliam uxorem duxit reiecitque, dein sub finem anni quarti, i. e. media fere aestate anni 221 Faustinam, quam paulo post repudiavit, ut Aquiliam reduceret (cf. Klebs Prosop. Imp. Rom. I p. 75 n. 547). [5]) De vanitate sententiae eorum, qui Aquiliam Severam Christianam factam esse putant, vide infra in Cap. XI.

IV.

Elagabalus postquam per nonnullos annos princeps fuit, et populi et exercitus, quibus nitebatur, benevolentia exciderat. [1]) Mores eius adventicii novi esse desierant neque amplius eos delectabant; quae introduxerat hic puer Orientalis contemnenda Romanis videbantur et ridicula. Magis magisque palam anteponere se ei Alexianum profitebantur. [2]) Iulia Maesa, labare nepotis sui natu maioris imperium animadvertens, atque, ne potestate sua privaretur, timens, sibi agendum esse intellexit. In Alexiano, quippe qui omnibus carissimus erat, spem suam reposuit. Callidissime igitur Antonino persuasit, ut, Solis sacerdos, totus in dei sui cultum se verteret neque imperii tricis avocaretur; Caesarem sibi adiungeret; qua dignitate quis dignior esse posset consobrino suo? [3]) Quae verba secundis auribus ab Antonino accepta sunt. Laetissimum illum Mamaeae fuisse diem conicere possumus, quo princeps filium eius in senatum introduxit atque utramque Augustam iuxta eum collocans adoptavit Caesaremque nuncupavit. [4]) Insuper in proximum annum cum imperatore consul designatus est. [5]) Anno hoc accidit 221, ante Kal. Iun. [6])

---

[1]) Dio Cass. LXXIX 17,1. Herod. V 7, 1. V. Hel. 10,1. [2]) V. Hel. l.l. [3]) Herod. V 7,2. [4]) Dio Cass. LXXIX 17, 2—3. Herod. V 7,4. V. Hel. 13,1. [5]) Herod. l.l. V. Hel. 15,5. [6]) Post Kal. Ian. anni 221 factum id esse necesse est, quoniam in annum 222 consul designatus est. Cf. Klein Fasti Cons. p. 96. Nonnulli viri docti (cf. Groebe l.l. p. 2528. Klebs Prosop. Imp.

Filii adoptivi nomen in Alexandrum [1]) mutavit Antoninus, deum suum id iussisse dicens [2]); hoc modo eum etiam tamquam nepotem Caracallae, qui ipse sibi Alexandri Magni nomen imposuerat, commendans. [3]) Caesar M. Aurelius appellatus est a patris adoptivi nomine, quo vivente M. Aurelii Antonini filius, divi Antonini Magni nepos, divi Severi Pii pronepos, M. Aurelius Alexander [4]) dicebatur. Iniuria igitur Herodianus [5]) tamquam Caracallae filium eum Alexandrum nominatum esse contendit, qua appellatione videlicet Antoninus sibi ipsi nocuisset. Fortasse Herodiano id dare possumus Iuliae Maesae iam tunc ingratum non futurum fuisse, si Alexander e Caracalla natus esse existimaretur; attamen hanc rem nonnisi furtim paucis aperuisse potest.

Nostris temporibus [6]) Mommsen [7]) multique alii [8])

Rom. I p. 215 n. 1303) a. d. VI Id. Iul. adoptatum eum esse putaverunt, quo die inter sodales Antoninianos atque inter sacerdotes in aede Iovis Propugn. consistentes cooptatus esset (C. I. L. VI 2001, 2009); attamen iure Thiele l.l. p. 57 affert C. I. L. VI 3069, ex qua inscriptione Alexandrum Kal. iam Iun. Caesarem fuisse apparet. Anno 221 id accidisse nummi quoque affirmant Feuardent 2392. Eckhel III p. 361. Mionnet V n. 1463. VIII n. 91. Journ. int. 4, p. 62 n. 738. Cf. Thiele l.l. p. 57 adn. 2. Domaszewski Westd. Zeitschr. 14, 1895, p. 37 propter C. I. L. XIII 8035 a. d. XV Kal. Mai. ad Caesaris dignitatem eum provectum esse putavit, attamen incertissimam esse eius coniecturam recte monet Thiele l.l.

[1]) Dio Cass. LXXIX 17,3. Herod. V 7,3. Epit. de Caes. XXIII 4. [2]) Dio Cass. l.l. [3]) Herod. l.l. Iniuria igitur Domaszewski l.l. p. 76 adn. 318a hoc nomen cum cultu Ammonis Aegyptiorum dei coniungit. [4]) C. I. L. III p. 199. Iure Porrath l.l. p. 21 adn. 3 monet, Tillemontium l.l. Note II Alexandrum iam his temporibus Severum appellatum esse putantem erravisse, quoniam nummi docent initio regni eius hoc factum esse. [5]) Herod. l.l. [6]) Thielii l.l. p. 58—61 expositionem sequor. [7]) Mommsen anno 1873 in commentario diplomatis n. 52 (C. I. L. III p. 892) annoque 1876 in explicando C. I. L. VI 1016. [8]) Dessau Inscr. Sel. n. 375 adn. 1. n. 475 adn. (anno 1892).

Alexandrum per breve tempus una cum patre Augusti loco imperasse statuerunt, quia una inscriptio [1]) eum Augustum appellat. Quod falso contra consensum omnium testimoniorum veterum collectum esse dixit Klebs. [2]) Deinde Mommsen [3]), sententiam suam mutans, rem absolvit, a Thielio etiam firmatam: Caesares saeculi tertii non omnes sed quidam locum obtinuerunt antiquo superiorem et Augustae potestati proximum, quorum titulus Augustus nullo modo revera Augusti loco eos imperasse significat; sic Severus Caracalla Geta „Augusti" nominati sunt,[4]) quo tempore Geta Caesaris tantum dignitate fruebatur. [5]) Eodem modo Alexander nunquam, dum vixit Elagabalus, Augusti loco imperavit; omnes fere nummi [6]) tituli que [7]) eum usque ad Antonini mortem Caesarem appellant.

Princeps quamdiu erga filium suum adoptivum benevolus erat, ex sententia omnia procedebant. [8]) Sed

B. Niese Grundriss ed. II (anno 1897) p. 214, ed. III (anno 1906) p. 313. Rubensohn Hermes 1890 p. 344 adn. 3. Groebe l.l. p. 2529 (qui minus recte affert nummum Cohen IV 67, qui Alexandro imperatore haud dubie cusus est; neque quod Antonini nomen in nonnullis constitutionibus deletum est, ullius est momenti: Alexandri enim nomen post Antonini mortem positum esse potest). Miror quod etiam anno 1904 Lécrivain l.l. p. 212 et anno 1907 Hopkins l.l. p. 35 opinionem explosam secuti sunt.

[1]) Thiele praeter illam, quam Mommsen interpretatus est, inscriptionem etiam affert: Pap. of the Brit. Mus. ed Kenyon II n. 533. Berl. Griech. Urk. II n. 633. 452. 667. Sayce Rev. des études grecques 4, 1891, p. 48 n. 4 cet. [2]) Prosop. Imp. Rom. I p. 215 n. 1303 (anno 1897). [3]) Anno 1902 in interpretando diplomate n. 85 (C. I. L. III p. 1998.) [4]) C. I. L. III 781 v. 35 (anni 201). [5]) Dessau Inscr. Sel. I n. 434 sqq. Cf. Thiele l.l. p. 60 adn. 1. [6]) Cohen IV 485. 458 sq. Eckhel XII p. 268. Journ int. 4. 1901 p. 152 n. 883 sqq. (annis 221—223 p. C.) Mionnet VI 2581 sqq. Dattari n. 4239 sqq. Feuardent n. 2393 sqq. (anni quinti Antonini.) [7]) C. I. L. VI 323. 2001. 2009. 3015. Oesterr. Jahresh. 3, 1900 append. p. 129. Cagnat Inscr. Graec. ad res Romanas pertinentes 3 n. 1295. [8]) Dio Cass. LXXIX 19,1.

mox discidium extitit. Antoninus enim saltationum, sacerdotii, totius vitae rationis suae Alexandrum participem esse voluit. [1]) Iulia Mamaea vero filium suum ab omnibus actionibus turpibus indignisque retinuit, clam omnium disciplinarum magistros arcessens, exercitationibus eum assuefaciens; Graeco-Romanam ei dedit educationem. [2]) Qua re offensum imperatorem adoptionis paenituit. [3]) Magistros Alexandri ex aula expulit, alios interfecit, alios exsilio affecit, [4]) quo magis etiam subiectorum suorum animos a se abalienabat, militum praecipue, qui mores eius iam vehementer aversabantur, atque in puerum pudicum et moderatum cuncti se inclinabant. [5])

Quod cum non ignoraret Elagabalus, offensio eius aucta est ad iram et odium; omnes secum inimicissime contendere sentiens omnes pariter suspectos habebat; quomodo puerum odiosum e medio tolleret agitare coepit. [6]) Sed milites Alexandrum custodiebant [7]); et mater nil ei sumere permisit, quod a principe mittebatur neque ab eius ipsius famulis fidelibus paratum erat.[8]) Herodianus [9]) militibus etiam clam eam nummos distribuisse narrat.

Haec omnia nequaquam imperatorem latebant; neque iam aliud quidquam nisi ultionem, qua ab eo inde tempore materteram quoque petebat, in animo versabat suo. [10]) Sed Iulia Maesa, per longum tempus aulae dolis assueta, callidissime semper consilia eius, quae celare nesciebat, videbat atque frangebat. [11]) Quam ob causam aliam rem Elagabalus excogitavit. Ab omnium conspectu consobrinum suum removit [12]);

[1]) Herod. V 7,4. [2]) Herod. V 7,5. [3]) Dio Cass. LXXIX 19,1. Herod. V 7,5. V. Hel. 13,1. [4]) Herod. V 7,6. [5]) Dio Cass. LXXIX 19,1. Herod. V 8, 1—2. V. Hel. 13,3. Aur. Vict. Caes. XXIII 2. [6]) Dio Cass. l.l. Herod. V 8,2. [7]) Herod. l.l. [8]) Herod. l.l. [9]) Herod. V 8,3. [10]) Herod. l.l. [11]) Herod. V 8, 3—4. [12]) Herod. V 8,4.

atque ad senatum mandavit, ut Caesaris ei nomen abrogaretur.[1]) Sed a senatu altissimo hoc silentio acceptum est.[2])

Quod ad proxima eventa attinet, fuse nobis ea narrat Lampridius; Dio Cassius apertam sed brevem narrationem litteris prodidit; Herodianus nonnulla omisit,[3]) supremos vero Antonini dies accuratius quam ceteri fontes descripsit. Ex trium horum auctorum testimoniis compositis hoc modo res gestas esse eruo.

Neque tunc Elagabalus consilio suo abstitit, sed relictis in palatio matre et avia et consobrino, ad hortos Spei veteris secessit; deinde ad milites litteras misit, quibus flagitavit ut abrogaretur nomen Caesaris Alexandro; misit quoque, qui in castris statuarum eius titulos luto tegerent.[4]) Quo facto percussores ei inmitti iussit[5]) et frustra praemiorum spe Alexandri paedagogos adducebat, ut eum, quo vellent modo, occiderent.[6]) Quibus tamen conatis ipse in vitae venit discrimen.[7]) Alexandrum enim tuebantur mater, avia, milites quoque[8]), qui iam ira incensi erant, quod princeps ei Caesaris nomen abrogare vellet eumque ab omnium oculis removisset[9]); insidiis vero cognitis seditionem moverunt.[10]) Pars in palatium, pars in hortos Spei veteris, ut poena afficiant Elagabalum, contendunt. Illi postquam in palatium venerunt, Alexandrum cum matre et avia custoditum diligentissime in castra ducunt,[11]) quos Iuliam Soaemiadem, sollicitam filio, secutam esse narrat Lampridius.[12]) Attamen multo mihi videtur veri similius non in castra eam iisse, sed alteram, quae filium eius necare volebat, militum partem sequi contendisse, qui

---

1) Herod. l.l. V. Hel. 13,1. 2) V. Hel. l.l. 3) Scil. post V 8,5: παραλυθείη. 4) V. Hel. 13,4—7. 5) Dio Cass. LXXIX 19, 1—2. V. Hel. 13,4. 6) V. Hel. 13,8. 7) Dio Cass. l.l. V. Hel. l.l. 8) Dio Cass. l.l. 9) Herod. V 8,5. 10) Dio Cass. LXXIX 19,2. V. Hel. 14,2. 11) V. Hel. 14, 2—3. Cf. etiam Dio Cass. LXXIX 19,2. 12) V. Hel. 14,4.

in hortis principem aurigandi certamen inveniunt parantem, intentissime tamen exspectantem, dum ei consobrinus occisus nuntietur.[1]) Subito militum strepitu exterritus in angulum se condit obiectuque veli cubicularis se tegit.[2]) Unus ex eius praefectis vero, Eutychianus fortasse,[3]) milites, qui iam in hortos venerant, adlocutus sacramenti admonitione, ne Antoninum occiderent, exorabat, cuius voti, cum non multi venissent, compos factus est.[4]) Alter praefectus ad compescendos milites in castra missus est,[5]) qui se parsuros esse dixerunt Elagabalo, si impuros viros a se dimoveret atque ad bonam frugem rediret. Quo impetrato mandaverunt praefectis, ut Alexander custodiretur neve quempiam turpem hominem videret.[6]) Remoti sunt ab Antonino multi ex eius amicis, Hierocles quoque.[7]) Quem tamen sibi ademptum ferre non potuit Antoninus. Tunc eum cum matre ipsum in castra se contulisse persuasum habeo, quod, quamquam non disertis verbis narrant, tamen significare videntur Vitae Heliogabali indicia. Dio Cassius[8]) Antoninum et Alexandrum ambos in castra venisse dicit, ubi lacrimans ingentibus precibus imperator Hieroclem reposcebat, quod mori quam eo carere mallet. Aegre autem id impetravit.[9]) Anno 221 praetorianorum illa seditio orta est.[10])

Sed nequaquam ad bonam frugem se recepit Elagabalus; Caesari insidiari pergebat,[11]) ut avia quoque, hunc rerum statum pertaesa, ab eo alienaretur; neque eum, sed revera Alexandrum Caracallae filium

---

1) V. Hel. 14,5. 2) V. Hel. 14,6. 3) V. Hel. 14,8 Antiochianum eum appellat; sed mihi Lecrivanii l.l. p. 206 adn. 2 sententia, re vera Eutychiano nomen ei fuisse, maxime probabilis videtur. 4) V. Hel. 14,7—8. 5) V. Hel. 14,7. 6) V. Hel. 15,1—3. 7) Dio Cass. LXXIX 19,3. V. Hel. 15,2. 8) Dio Cass. LXXIX 19,2. 9) Dio Cass. LXXIX 19,3. V. Hel. 15,4. 10) Quae enim Kal. Ian. anni 222 (V. Hel. 15,5) acciderunt, ei seditioni sunt posteriora. 11) V. Hei. 15,4.

esse finxit.[1]) Hoc primo tempore hunc rumorem sparsum esse narrat Dio, quod tunc demum, cum demovere vellet Antoninum, necessarium fuit;[2]) ut successione potiretur Alexander, adoptio suffecerat. Memorabile quoque est, quod, Herodiano[3]) contrarius, nusquam Dio Cassius Mamaeam huic fabulae pervulgandae obnoxiam fuisse tradit. Tota eius vita, continentia notabilis, Herodiani testimonium, adulterium eam iactasse contendentis, falsum esse demonstrat. Neque tamen in hac re matri sibi adversandum esse censuit, quippe quae, ut videbimus, postquam imperium adeptus est Alexander, rumorem, cui strenue obloqueretur, indignum esse existimaverit.

Kal. deinde Ian. anni 222, quo die consulatum inibant, imperator cum consobrino procedere noluit. Ad extremum, cum eum avia et mater monerent, imminere milites ad eius exitium, nisi concordiam viderent consobrinorum, hora diei sexta in senatum se contulit, sed in Capitolium ad vota concipienda et perficienda sollemnia ire noluit.[4])

Dionis, Herodiani, Lampridii testimonia de supremis Elagabali diebus dissentire Hopkinsio[5]) non concedo. Mea quidem opinione hoc modo componenda sunt.

Cum certum ei esset consilium omnia audere, ut consobrinum, qui surripuisset ei populi militumque favorem, necaret, prioribus vero conatis ad irritum redactis prudentiam didicisset, timens, ne senatus ad alium se inclinaret, si ipse consobrinum occidisset, subito senatum urbe decedere iussit. Senatores autem paruerunt.[6]) Ulpianus quoque tunc in exsilium pulsus est.[7])

1) Dio Cass. LXXIX 19,4. 2) Vide pag. 20. 3) Herod. V. 7,3. 4) V. Hel. 15, 5—7. 5) Hopkins l.l. p. 39 adn. 1. 6) V. Hel. 16,1. 7) V. Hel. 16,4.

Deinde Antoninus moribundum esse Alexandrum in vulgus edidit, ut, quomodo milites hoc ferrent, experiretur.[1]) Hae igitur redintegratae illae insidiae sunt, de quibus Dio Cassius[2]) loquitur. Milites vero, ira incensi, in castris se incluserunt, ubi Alexandrum ut viderent flagitaverunt.[3]) Quod cum comperisset imperator, timore perterritus, cum filio suo adoptivo in lectica imperatoria consedit atque in castra se contulit.[4])

Hic autem propalam ei Alexandrum anteponentes milites denuo ultionis eius cupiditatem concitaverunt; et, postquam in castris pernoctavit, proximo die, quos maxime sibi iniquos viderat, prehendi iussit,[5]) quo facto in peiora omnia ruerunt. Accessit, quod iam apertius quam antea inimicitiae proruperant inter puerorum matres, quae et ipsae in castris erant[6]) neque abstinebant, quominus milites, ut summae rei facerent periculum, adhortarentur[7]).

Milites igitur, iis etiam, quos princeps prehendi iusserat, metuentes, non iam dubitaverunt.[8]) Periculi conscius Antoninus fugere conatus,[9]) sed deprehensus, una cum matre occisus est.[10]) Capitibus praecisis per urbem tracti sunt;[11]) deinde Elagabali corpus in cloacam abiectum,[12]) cum non cepisset cloaca, per

1) Herod. V 8,5. 2) Dio Cass. LXXIX 20,1. 3) Herod. l.l. 4) Dio Cass. LXXIX 20,1. Herod. V 8,6. 5) Herod. V 8,7. 6) Dio Cass. LXXIX 20,1. Herod. V 8,8: παρῆν cet. 7) Dio Cass LXXIX 20,1. 8) Dio Cass. l.l. Herod. V 8,8. V. Hel. 16,5, locus corruptus, ex quo tamen milites sibi metuisse eruere possumus. 9) Dio Cass. l.l. Zonaras XII 14 p. 570 B, male Dionem excerpens, ex duabus seditionibus unam fecit. 10) Dio Cass. LXXIX 20,2. Herod. V 8,8. V. Hel. 17,1. Aur. Vict. Caes. XXIII 2. Oros. VII 18,5. Eutrop. VIII 22. Zosim. I 11. Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed Mommsen I p. 147) Hieronym. Chron. ad ann. 222. Cassiod. Chron. ad ann. 222. Polem. Silv. Laterc. (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 521). 11) Dio Cass. LXXIX 20,2. Herod. V 8,9. V. Hel. 17,3. Zosim. I 11. 12) Herod. l.l. V. Hel. 17,1.

pontem Aemilium in Tiberim praecipitarunt, ne unquam sepeliri posset.[1])

Uno excepto omnes quoque eius familiares necati sunt.[2])

Mortuum esse M. Aurelium Antoninum pridie Non. Mart. anni 222 Thielio concedo.[3])

---

[1]) Dio Cass. l l.V. Hel. 17,2. Herod. l.l., qui perperam per cloacam in Tiberim id pervenisse putat. [2]) Dio Cass. LXXIX 21,2. Herod. V 8,8 V. Hel. 16,5. [3]) Thiele l.l. p. 61 sqq. Ut iam vidimus (p. 22 adn. 1), ratio chronologica, quam sequitur Dio, a. d. IV Non. Iun. anni 218 cladem accepisse Macrinum ostendit: ab a. d. III Non. Iun. anni 218 igitur Antonini imperium computatur, qui Dione LXXIX 3,3 auctore regnavit annos 3 menses 9 dies 4, i. e. usque ad pridie Non. Mart. Hoc testimonium optime convenit cum V. Al. 6,2, qui consensus ideo maximi est momenti, quia, quae ex actis hoc loco affert Lampridius, maximam partem genuina sunt (vide infra). Hic igitur secundus est locus, qui Thielii opinionem optimam esse demonstrat (vide p. 22 adn. 1). Tertium in mortis die Alexandri eruendo inveniemus. — Attamen errat Thiele, ex numeris quoque Libri Generationis ad suam coniecturam correctis colligi posse suspicans, diem supremum Antoninum pridie Non. Mart. obiisse; in pag. 61 enim perperam ratiocinatur. „Macrinus", inquit, „imperium iniit a. d. V Id. Apr. anni 217 et Libro Gen. teste imperavit annum 1 menses 2 dies 6, h. e. ad a. d. XVI Kal. Iul. anni 218". Immo hoc est ad postridie Id. Iun. anni 218. Hoc igitur modo Libri Gen. indicia ceteris conciliari non possunt. Mihi vero Libri Gen. indicia fortasse nulli errori obnoxia esse, sed ita computasse eum, qui scripsit, tamquam mortuo demum Macrino imperium iniisset Antoninus, veri videtur simile; quod si recte statuero, diem supremum Macrinum obiisse apparebit postr. Non. Iun. anni 218, quinto postquam cladem accepit die. — Eutrop. VIII 22, quem sequitur Epit. de Caes. XXIII 1, Antoninum, postquam Romam venit, regnasse annos 2 menses 8 tradit. Ergo si mense Iulio anni 219 Romam eum venisse putat, et ipse mense Martio anni 222 eum mortuum esse testatur. Aur. Vict. Caes. XXXIII 2 ex eodem fonte hausisse, quem minus accurate exscripserit, quippe qui per 30 eum menses imperasse narret, mihi persuasum est. Chronogr. anni 354 l.l. et Herod. V 8,10 testes vitiosi sunt. — Anno 222 interiisse Elagabalum praeterea tradunt Hieronym. Chron. et Cassiod. Chron. ad annum 222, Georg. Sync. p. 673. Oros. VIII 18,4 et 6. Euseb. H. E. VI 21. Chron Pasch. ad annum

Ex fontibus nostris Iuliam Mamaeam, fortasse Maesam quoque, huius caedis fuisse conscias colligere oportet, quod unum iam Alexandro salutis auxilium reliquum fuerit.

---

222. Hippolyt. (cf. Clinton Fasti Rom. I p. 237). Eckhel VIII 436 et nonnullae Cod. Iust. leges. Cf. Hopkins l.l. p. 262 sqq. — Nostris temporibus viri docti, praecipue postquam scripsit Rubensohn Hermes 1890, 25, p. 348 sqq., sed antequam scripsit Thiele librum laudatum, diebus, quos tradidit Dio, fidem habentes, quos mendosos esse Thiele demonstravit, et computationi numeri annorum, quos imperio Antonini attribuit, mortuum esse hunc imperatorem a. d. V Id. Mart. putaverunt (cf. Groebe l.l. p. 2529), reiectis tamen indiciis Historiae Aug. tamquam fide indignis. Wirth Quaest. Sev. p. 43, qui iam antea eadem atque Thiele huic opinioni obiecit quod ad diem mortis Alexandri (vide infra) et V. Al. Sev. 6,2 attinet, a.d. IV. Non. Mart. mortuum esse Antoninum arbitratus est; attamen nondum Dionis singulorum imperatorum imperii numeros optimos esse ipsoque die, quem affert V. Al. 6,2, obiisse Elagabalum voluisse Dionem vidit. Hopkins l.l. p. 261 sq. ex Dionis LXXVIII 5,4 et Libri Gen. indiciis a. d. IV Non. Mart. eum interfectum esse colligit; inaccurate, nam secundum eius ratiocinationem mortuus esset Non. Mart.

V.

Eodem die ad omnium, tam populi militumque quam senatus voluntatem Alexander, tredecim annos natus, imperator salutatus est.[1])

Ab eo inde tempore M. Aurelius Severus Alexander, Caracallae filius, Septimii Severi nepos appellabatur.[2]) Iniuria nonnulli fontes[3]) Severi cognomen a militibus ob singularem severitatem ei inditum esse contendunt; nam statim postquam imperium iniit, quo tempore igitur severitatis documenta nondum edere potuit, in nummis eius atque titulis hoc nomen scriptum est, quod ipse sibi addidit, quia imperium suum tamquam Severos continuans commendare voluit.[4]) In hanc sententiam „divum parentem meum Severum" dixit.[5]) Neque his verbis neque nomine filii Caracallae[6]) revera se ex hoc imperatore natum esse eum indicasse iure monet Groebe;[7]) iure enim Romano post adoptionem priores necessitudines invalidae sunt. Alexander igitur, cui genti adoptio eum iunxerat, huic se addixit, sed Antonini odiosi nominis

1) Dio Cass. LXXX 1,1. Herod. V 8,10. V. Al. Sev. 1,2. Aur. Vict. Caes. XXIV 1. Zosim. I 11. Eutrop. VIII 23. Euseb. H. E. VI 21. Oros. VII 18,6. Georg. Sync. p. 673. Ruf. Fest. 22. 2) C. I. L. II 1533. III 166. 226. 3121. V 5260. VI 2108. 2111. VII 965. VIII 1485. 15447. X 1653. 6893. Le Bas III 1174. Cohen IV 201 sqq. Brambach C. I. Rh. 151. Cf. Groebe l.l. p. 2527. 3) V. Al. Sev. 12,4. Aur. Vict. Caes. XXIV 4. 4) Cf. Lécrivain l.l. p. 213. 5) V. Max. 5,4. Cf. etiam Zosim. I 11. 6) Cf. etiam Cod. Iust. XII 36,4. IX 22,2. 7) Groebe l.l. p. 2528.

memoriam quia omnino exstingui oportebat, e stemmate id omisit. Neque quem quondam[1]) Iulia Maesa sparserat rumorem, tunc, cum oblivioni datus iam esset, cui fortiter obloqueretur dignum duxit Iulia Mamaea, eo praecipue tempore, quo parvi conubium aestimabatur.

Lampridio[2]) auctore novo imperatori uno die praeter Augustum nomen patris patriae titulus, tribunicia potestas, ius proconsulare, ius quintae relationis delata sunt; pater patriae et tribunus in titulis[3]) semper appellatur, proconsul nonnisi rarissime.[4])

Dominum se appellari vetuit, ut auctor est Lampridius;[5]) attamen cum in titulis saepe dominus dicatur,[6]) Suetonii imitationem hanc esse suspicandum est.[7])

Ter consul fuit Alexander.[8])

Pridie etiam Non. Mart. senatus ei Antonini, deinde Magni nomen obtulit, quod utrumque in oratione, quam matrem eius meditatam esse veri est simile, recusavit.[9])

Alexander cum nondum adultus esset, prioribus imperii sui annis nomine tantum regnabat et rerum

1) Vide p. 33 sq. 2) V. Al. Sev. 1,3. 3) Cf. Groebe l.l. p. 2527. 4) De hac re cf. Thiele l.l. p. 75 sq. 5) V. Al. Sev. 4,1. 6) Cf. Groebe l.l. 7) Cf. Lécrivain l.l. p. 213 adn. 1. 8) V. Al. Sev. 28,1. S. Klein Fasti Cons. p. 96 sqq. Groebe l.l., ubi ceteri quoque eius tituli afferuntur. 9) V. Al. Sev. 6—12,1, ubi Historia Augusta ex actis urbis attulit locum, qui, quod raro accidit, partim genuinus est, acclamationes scil., in quibus nonnullas tantum Lampridii interpolationes invenimus. Alexandri responsa genuina non sunt; facta vero, quae narrant, maximam partem fide sunt digna. Cf. Lécrivain l.l. p. 77 sq., qui in acclamationibus nullas inesse interpolationes putavit. At recte Thiele l.l. p. 44 sqq. nonnulla verba ex actis urbis hausta esse non posse ostendit. Mea tamen opinione V. Al. Sev. 7,3. 10,3, quos locos Thiele l.l. p. 52 sq. interpolatos esse existimat, genuina sunt.

administratio a pluribus gubernabatur. Mater eius et avia regni procuratrices factae sunt.[1])

Ergo ab eo inde tempore Iulia Mamaea quoque Augusta audiebat.[2]) Praeterea appellabatur: Mater Augusti, Mater Castrorum, Senatus, Patriae, universi generis humani.[3]) In nummis[4]) saepius Iunonis, Pietatis, Veneris Felicis, Veneris Genetricis, Veneris Victricis, Vestae, cet., imagine repraesentatur. Domaszewskio[5]) auctore Matris Castrorum nomen in castris, Matris Senatus et Patriae in senatu omnibusque, quibus imperatores colebantur, locis eam cultam esse indicant, nec non divini honores tanti, uxoribus imperatoris a Iulia Domna instituti neque antiquitus apud Romanos sollemnes, maiorem mulieres in rebus administrandis potestatem illis temporibus Romae adeptas esse docent.

Mamaeae sententia praevaluit in nova administratione ordinanda.[6]) Ad summam rerum tuendam filio suo consilium[7]) addidit, sedecim[8]) viros ex senatu

[1]) Herod. V 8,10. VI 1,1. Zonar. XII 15 p. 571 (quod testimonium ex Dione fluxisse veri est simile; cf. Boissevain l.l.). Cf. Groebe l.l. p. 2529. [2]) Cf. etiam C. I. G. 6000. C. I. L. VIII 9355, omnesque eius, qui, postquam Alexander imperium iniit, cusi sunt nummi. Cf. Hopkins l.l. p. 275. [3]) C. I. L. III 7970. 8360. VIII 1406. 1429. 1484. III 798. II 3393. IX 7478. III 3427. 7473. 7955. VII 319. VIII 1. 1313. XIV 125. IX 963. XIV 3037. VIII 2620. C. I. G. 4705. C. I. L. II 3413. VI 2108 (Arval. p. 576 sq.). Orelli 953. C. I. L. II 2664. VI 13. 223. 2833. Cohen IV 494 sq. Cf. Hopkins l.l. p. 275. Réville l.l. p. 258 adn. 3. Ruggiero Dizion. Epigr. I p. 398. [4]) Eckhel VII p. 287 sq. Cohen IV p. 496—498. Cf. Hopkins l.l. Réville l.l. [5]) Westd. Zeitschr. 14, 1895, p. 72 [6]) Zonaras l.l. [7]) Zonaras l.l. Herod. VI 1,2. V. Al. Sev. 16,1. [8]) Herod. l.l. — Groebio l.l. p. 2530 Thielioque l.l. p. 73 consilium, de quo agit V. Al. Sev., ab hoc nostro discrepuisse equidem non concesserim: idem est consilium, sed posterioribus Alexandri imperii annis. Numeros Lampridii ab Herodiano discrepantes fide indignos esse monet Lécrivain l.l. p. 214. Quod de solis negotiis eorum iudiciariis agit Lampridius, nil miror, quippe quae maioris Alexandro imperatore momenti essent quam cetera. Innumeras enim, ut videbimus, leges sanxit.

electos, quibuscum omnes res agendae communicarentur.[1]) Huic collegio, cui praeerat Domitius Ulpianus,[2]) Iulius Paulus[3]) quoque multique alii viri praeclari intererant.[4])

Praeterea negotia et causae prius a scriniorum principibus et doctissimis viris iuris peritis tractabantur, quibus idem Ulpianus praeerat.[5])

Nec non de variis negotiis viri periti ac probati, e. g. de re militari militares, consulebantur, historici quoque, qui, quid in talibus causis, quales in disceptatione versabantur, veteres fecissent imperatores, narrarent.[6])

Ita ab omni parte principis tenera aetas optime sustentabatur atque adiuvabatur. Lampridio[7]) si credere licet, bonos illos amicos primis diebus depulerat malorum cohors, qui tamen mox amoti sunt.

Iuliae Mamaeae proxima valebat sine dubio auctoritas clari illius iure consulti, Domitii Ulpiani, quem pro tutore habuit Alexander, primum repugnante matre, deinde, cum virtutes eius cognovisset, gratias agente,[8]) qui, etsi multis in rebus a principe suo huiusque matre eum dissensisse docent scripta eius, nihilominus stabili cum iis amicitia coniunctus fuisse videtur.[9]) Iam antea fuerat magister scrinii;[10]) initio imperii Alexandri praefectus annonae erat,[11]) cum praefecti praetorio essent Flavianus et Chrestus; mox vero Mamaea collegam maiorem iis praeposuit Ulpianum,[12]) quem Kal. iam Decembr. anni 222 praefectum

[1]) Herod. l.l. Zonar. l.l. [2]) Dio Cass. LXXX 1,1. [3]) V. Al. Sev. 68,1. Dig. IV 4,38. [4]) V. Al. Sev. l.l. De hoc loco cf. Thiele l.l. p. 33 sq. [5]) V. Al. Sev. 15,6. [6]) Herod. VI 1,4. V. Al. Sev. 16,3. Thiele l.l. p. 4 ostendit, saepe priorum principum exemplum secutum esse Alexandrum probantibus constitutionibus eius. [7]) V. Al. Sev. 68,3—4. [8]) V. Al. Sev. 51,4. [9]) Cod. Iust. IV 65,4: „Dom. Ulpianum, parentem meum." VIII 37 (38), 4: „Dom. Ulpiani, amici mei." Cf. etiam Georg. Sync. p. 673. V. Al. Sev. 26,5. [10]) V. Pesc. Nigr. 7,4. V. Al. Sev. 26,6. [11]) Cod. Iust. VIII 37 (38), 4. [12]) Dio Cass. LXXX 2 2. Zosim. I 11.

praetorio fuisse constat;[1]) senatoriam accepit dignitatem, ut infra videbimus.

Multum quoque valebat Iulius Paulus iuris peritus,[2]) qui et ipse Alexandro regnante praefectus praetorio fuit,[3]) quibus annis, definire non possumus.[4])

Cum nepos eius minor natu principatum teneret, Iulia Maesa non iam primas in rebus administrandis partes agebat, ut Elagabali aetate, partim cum iam grandior natu fortasse valetudine minus commoda uteretur, partim cum Iulia Mamaea, postquam imperatoris mater facta est, maiore frueretur potestate.[5]) In nonnullis nummis[6]) Iulia Maesa una cum Mamaea atque Alexandro repraesentatur. Iuliae Domnae Getaeque ossa in Antoninorum mausoleum transferenda

[1]) Cod. Iust. IV 65,4. Dio Cass. LXXX 1,1. V. Al. Sev. 26,5. Aur. Vict. Caes. XXIV 6. V. Pesc. Nigr. 7,4, quo loco „statim" minus accurate dictum est, intervallum enim inter scrinii magisterium et praefecturam praet. eius intercessit, ad minimum exsilii eius spatium et praefecturae annonae. — Scripserunt annales imperatorii, aliis visum esse, Elagabali iam temporibus praet. praet. eum gessisse (quam opinionem falsam esse ostendit Cod. Iust.), aliis, Alexandri temporibus. Nobis haec fama servata est V. Al. Sev. l.l.; prioris sententiae, quam abhorrere a vero dixi, fautor est Aur. Vict. l.l. — Eutrop VIII 23, quem secuti sunt Oros. VIII 18,8. Hieronym. Chron. ad ann. 225, Ruf. Fest. 22, alteram, bonam ergo opinionem amplexus est non satis tamen intellegens quid sibi velit vocabulum „consiliarius". Assessorem significari censuit, cum unum ex consilio illo designet, de quo disputavimus. Cf. Lécrivain l.l. p. 428. Assessoris dignitatem multo praet. praet. minorem esse, post hanc igitur geri non potuisse (cf. Lécrivain l.l. p. 218 adn. 4), neglexit Hopkins l.l. p. 63. [2]) Aur. Vict. Caes. XXIV 6. [3]) V. Pesc. Nigr. l.l. [4]) Post Flaviani Chrestique mortem solus praet. praet. fuit Ulpianus, ut infra videbimus; itaque post Ulpianum hoc munere functum esse Paulum veri est simile. Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 204 n. 30. Hopkins l.l. p 106 adn. 4. Vox »statim« V. Pesc. Nigr. de eo etiam minus accurate dictum est quam de Ulpiano. (vide p. 42 adn. 1). [5]) Cf. Hopkins l.l. p. 53 adn. 1. [6]) Bull. dell'. Inst. 1884 p. 27 (Dessau Inscr. Sel. 484). Bull. du Comité des trav. hist. et scient. d'archéol. 1902 p. 325. Cf. Thiele l.l. p. 67.

curavit.[1]) Post nummos, qui anni sunt 222, ex proximis annis nullos iam Maesae exstare putantes, viri docti[2]) fortasse iam anno 223 diem supremum eam obiisse coniecerunt, quamquam Herodianus[3]) eam iamdudum principe Alexandro mortuam esse narrat. Nunc vero Thiele[4]) nonnullos attulit nummos,[5]) qui Alexandro imperante quattuor fere annis vixisse eam demonstrant. Post mortem consecrata est.[6])

Per totum eius imperium Iulia Mamaea plurimum apud filium suum potuit, quod inde evincitur, quod in multis nummis titulisque una cum eo repraesentatur vel nominatur. Iniuria vero, iudicio Herodiani[7]) iniquo nisi, nonnulli[8]) eam solam cum imperio esse neque adulto filio debitam dare potestatem voluisse contendunt. Parum eius indolem perspiciunt: quamvis magna eius ambitio fuerit, maternam caritatem maiorem etiam fuisse tota eius vita demonstrat. Neque quae consilium instituerit Ulpianoque tantam permiserit auctoritatem, operam dedisse potest, ut sibi soli imperium reservaret,[9]) neque Dio Cassius et Lampridius Herodiano assentiuntur. Quamquam adultus quoque Alexander aliquatenus matris arbitrio regebatur,

[1]) Dio Cass. LXXVIII 24,2. [2]) Cf. Porrath l.l. p. 28. Bernoulli l.l. p. 95. Groebe l.l. p. 2529. Hopkins l.l. p. 53 adn. 1. [3]) Herod. VI 1,4. [4]) Thiele l.l. p. 67. [5]) Nordgriech. Münze I p. 293 sqq. Rev. Num. 1900 p. 404 n. 8. [6]) Herod. l.l. Cohen IV 391 sq. [7]) Herod. VI 1,5, ubi igitur ex illo fonte hausit, qui Mamaeae benevolus non est. [8]) Cf. Hopkins l.l. p. 51, qui nummos, in quibus cum eo repraesentatur, documento esse vult; attamen magna gratia eam floruisse tantum ex iis efficere licet. Thiele l.l. p. 68: „exstant", inquit, „tituli, qui summam rerum penes eam fuisse ostendant". (C. I. L II 3413. VI 3008. XIII 4208. Rev. des ét. gr. 19 p. 8, 4sq. Cagnat I 754). Quod vero eam solam cum imperio esse voluisse contendit, ex uno Herodiano id derivavit; tituli enim illi auctoritatem eius filii imperio aequam neque maiorem fuisse ostendunt. Groebe l.l. p. 2529 et Schiller Röm. Kais. I 2. p. 765 quoque Herodiano nimiam fidem faciunt. [9]) Cf. De Groot de Sev. Alex. diss. p. 21. Réville l.l. p. 266 adn. 2.

quod regno profuisse videbimus,[1]) nunquam tamen magis eum cohibebat, quam volebat ipse atque opus ei erat; multaque consilia, quae cum Mamaeae ingenio, ut ex aliis locis efficere licet, minus conveniunt,[2]) haud dubie ipse imperator, invita fortasse matre, cepit.

[1]) Cf. etiam V. Al. Sev. 66,1. [2]) Vide infra.

VI.

Quod ad novi imperii formam attinet, insolenti Antonini tyrannidi contraria moderata erat atque honesta, aristocratiaeque quam vocamus similior,[1]) initio cunctis approbantibus atque faventibus.[2])

Ante omnia emendata sunt multa, ab Antonino male gesta, quibus de rebus Ulpianus praecipue bene meritus est.[3]) Indigni homines magistratus deponere coacti sunt.[4]) Senatus, equester ordo, tribus, ordines militares, palatium quoque et comitatus imperatoris purgata sunt;[5]) cautumque est, ne unquam mulier senatum ingrederetur.[6])

Iure iurando deinde affirmavit Alexander fore, ut se regnante parsimonia atque integritas vigerent.[7]) Longe a praedecessore suo diversus erat: nil tam proprium ducebat imperii quam legibus vivere;[8]) consul primo nundinio sibi alium semper sufficiebat.[9]) Adulatores a se arcebat;[10]) nonnisi honestos et bonae famae homines ad salutationem admittebat.[11]) Adorari se vetuit;[12]) omnibus blandum affabilemque se praebebat.[13])

[1]) Herod. VI 1,1—2. Oros. VII 18,8. [2]) Herod. VI 1,2. V. Al. Sev. 2,2. [3]) Dio Cass. LXXX 2,2. [4]) Herod. VI 1,3—4. V. Al. Sev. 15,1. [5]) V. Al. Sev. 15,2. [6]) V. Hel. 18,3. [7]) V. Al. Sev. 15,3—4. [8]) Cod. Iust. VI 23,3. [9]) V. Al. Sev. 28,1. Cf. Thiele l.l. p. 24. [10]) V. Al. Sev. 18,1. [11]) V. Al Sev. 18,2. [12]) V. Al. Sev. 18,3. [13]) V. Al. Sev. 20,1.

Gravissimam fecit mutationem, cum senatui maiorem quam praecedentibus temporibus habuerat potestatem permitteret;[1]) consulebatur senatus de nominandis consulibus praefectisque et urbi et praetorio, de allectionibus, de provinciis proconsularibus ordinandis;[2]) multa senatoribus privilegia data sunt.[3]) Lampridius[4]) cum matrem eius et uxorem saepe dixisse tradat: „Molliorem tibi potestatem et contemptibiliorem fecisti", eum vero „Sed securiorem et diuturniorem" respondisse, conicere fortasse licet, Iuliam Mamaeam veritam esse, ne filius longius in hac re progrederetur nimiamque senatui vim permitteret;[5]) et ipsa tamen senatui maiorem addici auctoritatem voluit, quippe quae ex eo consilium elegerit.

Sed quamvis senatui indulgeret, Alexander ut summo loco nati atque optimi tantum viri senatores fierent, et mores antiqui servarentur in feneratione senatorum curabat.[6])

Praefectis praetorio quoque dignitas atque auctoritas amplificatae sunt. Nonnulli ex iis in senatum adlecti sunt, inter eos Ulpianus.[7]) Praeterea concessum est praefectis praetorio, ut formas generales darent, modo ne leges mutarent.[8])

Periti viri soli muneribus fungebantur.[9])

Administrationem, provinciarum praecipue,[10]) emendare conatus est Alexander: magistratus, cum creatos tum propositos, publicae curae ac velut tutelae esse

---

1) Cf. Hirschfeld R. V. G. I p. 296. Hopkins l.l. p. 86 sqq. Thiele l.l. p. 73 sqq. De huius rei gravitate vide cap. VIII. 2) V. Al. Sev. 43,2. 19,1. 24,1. 46,5. 49,2. C. I. L. III 893. VI 1452. Cf. Thiele l.l. p. 74 sq. 3) V. Al. Sev. 43,1. 4) V. Al. Sev. 20,3. 5) Cf. Hirschfeld l.l. Hopkins l.l. p. 114. 6) V. Al. Sev. 19,2—4. 26,3. 7) V. Al. Sev. 21,3. Cf. Hirschfeld l.l. p. 235. Thiele l.l. p. 74. 8) Id Mommsen St. R. II [3] 112 adn. 4 probabiliter collegit ex Cod. Iust. I 26,2. Cf. Thiele l.l. p. 12 adn. 1. Groebe l.l. p. 2530. Hopkins l.l. p. 105 sqq. 9) Herod. VI 1,4. 10) V. Al. Sev. 45,4—5. 22,6. 49,1. Cf. Schiller l.l. p. 768.

volebat;[1]) in furta severissime animadvertebat.[2]) Salaria instituebat assessoribus;[3]) bonos magistratus benigne remunerabatur[4]) et praesides provinciarum largiter exornabat.[5]) Rationales saepe mutabat.[6])

Nova quoque nonnulla munera instituit.[7]) Legionum imperium illis temporibus a provinciarum administratione separari coeptum esse videtur.[8]) Intervallum inter consulatum et proconsulatum intercedens prolatum est.[9]) Utraque aedilitas nec non tribunatus ex cursu honorum exciderunt.[10]) Munerum populo dandorum officia ordinata sunt.[11])

Leges innumeras sanxit Alexander.[12]) Ius hereditarium praecipue et libertinorum condicionem emendavit.[13])

---

1) V. Al. Sev. 23,2. 46,5. 45,6—7. Hoc testimonium quare minus probabile ducat Lécrivain l.l. p. 224, non video. Unum hoc ex iis consiliis, quae solus Alexander cepit (vide p 44), mihi fuisse videtur. Christianos ac Iudaeos caros habebat (vide infra), non mirum igitur est, exemplum eorum eum secutum esse. 2) V. Al. Sev. 28,2—5, qui locus, quamquam non omnia fide digna sunt, veri tamen nonnihil exhibet. 3) V. Al. Sev. 46,1. 4) V. Al. Sev. 32,3. 40,2; quae huius liberalitatis exempla proferuntur, fide tamen minus digna sunt. Cf. Lécrivain l.l. p. 220. 5) V. Al. Sev. 42,4. Iniuria nullisque adhibitis documentis aetate Theodosii hunc locum interpolatum esse contendit Thiele l.l. p. 43. 6) V. Al. Sev. 46,5. 7) i. a. curatores urbis. V. Al. Sev. 33,1. Cf. Hirschfeld l.l. p. 153. Lécrivain l.l. p. 220. 8) V. Al. Sev. 24,1. Cf. Borghesi Oeuvres V p. 469. Schiller l.l. p. 768 adn. 7. Marquardt R. St. V. I p. 557. Lécrivain l.l. p. 217. Hopkins l.l. p. 203 sqq. Iniuria Thiele l.l p. 39 hunc locum in suspicionem vocat: tituli, quos affert, nihil probant; voci „praeses" enim nulla aliena notio subest, sed alio modo quam antea provinciae administrabantur. 9) Dio Cass. LIII 14,3. Cf. Borghesi l.l. Schiller l.l. p. 768. 10) V. Al. Sev. 43,3. C. I. L. III 289. VI 1418. X 1249. Cf. Mommsen ad C. I. L. I p. 407. Mommsen St. R. I [3] p. 558 sq. Lécrivain l.l p. 222. 11) V. Al. Sev. 43,3—4. Cf. Mommsen l.l. Lécrivain l.l. Thiele l.l. p. 28 sq. 12) V. Al. Sev. 16,1 43,1 Vera esse haec testimonia infinitus Alexandri constitutionum, quae supersunt, numerus demonstrat. Cf. Thiele l.l. p. 11. 13) Digesta XXXI 87,3 XXXVII 14,5. Cf. Groebe l.l. p. 2532.

Quod ad iurisdictionem attinet, fures imprimis hominesque fraudulentos magnis afficiebat poenis.[1]) Condemnationes perraras esse iussit, sed quae factae fuerant non indulsit.[2]) Causae laesae maiestatis agi desitae sunt.[3])

Saluti communi quoque consulebatur, restituta legitima annonae et olei copia, quam Elagabalus imminuerat.[4]) Caro vilior facta est,[5]) nonnunquam gratiis dabatur.[6]) Alexandro imperante quinque liberalitates populus accepit.[7]) Post bellum Persicum puellae Mammaeanae et pueri Mammaeani instituti sunt, quod orphanotropheum matris principis auspiciis et favore praecipue gavisum esse nummi ostendunt.[8])

Iure igitur Severum Alexandrum pauperibus auxilio fuisse dicit Lampridius,[9]) quod de nullo alio imperatore scribi posse monet Réville.[10]) Neque plebi tantum subvenit; honoratos quoque, quos pauperes vere esse videbat, semper multis augebat commodis.[11]) Quae dono dabat, considerate elegebat.[12])

Vectigalium curationem suscepit, quae quantum

1) V. Al. Sev. 15,4. 17. 18,4—5. 23,8. 28,2—5. 35,6— 36,3. Thielio l.l. p. 37 Lampridium suae aetatis statum respicientem haec testimonia omnino finxisse non concedo; quamquam magna ex parte fide indigna sunt, nonnulla tamen vera in iis narrari mihi videntur. 2) V. Al. Sev. 21,1. 3) Cod. Iust. IX 8,1—2. Hanc rem spectare videtur Herod. VI 1,7 (quem V. Al. Sev. 25, 1—2. 52,1 non intellexit Lampridius). Cf. Thiele l.l. p 76 adn. 2. 4) V. Al. Sev. 21,9. 22,2. 5) V. Al. Sev. 22,7—8. 6) V. Al. Sev. 26,1. 7) V. Al. Sev 57,6. 26,1. Testimonium a vero paululum recedit; quinque enim liberalitates datas esse ex nummis (Cohen IV 107 sqq., 141 sqq., 22 sqq.) evincitur. Cf. etiam Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed Mommsen I p. 147) Schiller l.l. p 771. Groebe l.l. p 2532. Lécrivain l.l. p 218. 8) V. Al Sev. 57,6. Eckhel VII 285: „Mulier sedens inter tres puellos, quorum unius capiti sinistram imponit, adstat Felicitas cet". Cohen IV Mam. 1. Cf. Thiele l.l. p. 103. Hopkins l.l. p. 154. 9) V. Al. Sev. 40,2. Cf. etiam Herod. VI 9,8. V. Al. Sev. 20,4. 10) Réville l.l. p. 261. 11) V. Al. Sev. 40,2. 46,3. 12) Cf. V. Al. Sev. 40,3—4. 32,4. 33,3. 46,4.

potuit levavit[1]); sed cum Elagabalus innumeras summas effudisset, nonnulla tamen nova vectigalia exigere necessitas Alexandrum coegit.[2]) Vectigalia civitatibus ad proprias fabricas deputavit.[3]) Fenerationem coërcuit; saepe sine usuris pecuniae ab eo dabantur ad agros emendos, reddendae de fructibus.[4]) Aerarii Saturni iura restituta sunt.[5]) In re nummaria quoque nonnulla mutata esse videntur, sed singula ignoramus.[6])

Qui mercaturam faciebant[7]) et artes exercebant[8]), ab eo iuvabantur.

Subiectos suos simplicibus ac bonis uti vestimentis princeps volebat.[9]) In animo habuit omnibus officiis, omnibus dignitatibus, servis denique genus vestium proprium dare, quod tamen exsecutus non est; solos equites a senatoribus clavi qualitate discerni iussit.[10])

Iuliae Mamaeae filio imperante de moribus imprimis consultum esse facile intellegitur. Renovatae castitatis tempora se inchoare in legibus declarat.[11]) „Prorsus," haec sunt verba Lampridii[12]), „censuram suis tempo-

1) V. Al. Sev. 24,3. 32,5. 39,6, quo loco numeri falsi sunt neque cum nummis consentiunt. Cf. Mommsen Röm. Münzw. p. 776 adn. 116. Groebe l.l. p. 2532. Lécrivain l.l.p. 221. Hopkins l.l. p. 192 sqq. 2) V. Al. Sev. 64,3. 3) V. Al. Sev. 21,1. 44,8. C. I. L. VIII 1429. 15447. V 1837. X 5175. VIII 1406. 2658. Cf. Thiele l.l. p. 12 sq. 4) V. Al. Sev. 21,2. 26,2, testimonia obscura et partim fortasse minus recta. Cf. Thiele l.l. p. 22. 5) V. Al. Sev. 16,1. Paul. Sent. V 12. Ulpian. Fragm. 28,7. Cf. Meyer de Maecen. Orat. a Dione ficta p. 91. Hirschfeld l.l. p. 22 adn. 4. Lécrivain l.l. p. 214. 6) V. Al. Sev. 39,7—10, testimonia minus recta, quippe quibus nummi obloquantur, qui tamen de restitutione monetae agunt (Eckhel VII 279. Cohen IV 433). Cf. Mommsen R. M. p. 776 sqq. Groebe l.l. p. 2531 sq. Lécrivain l.l. p. 221. Hopkins l.l. p. 186 sqq. Thiele l.l. p. 27 et 41. 7) V. Al. Sev. 22,1. 8) V. Al. Sev. 33,2, partim a vero discrepans. Cf. Thiele l.l. p. 41 sq. 9) V. Al. Sev. 27,4. 33,3. 40,1 et 6 (de hoc loco cf. Hirschfeld l.l. p. 193). 10) V. Al. Sev. 27,1—3. 11) Cod. Iust. IX 9,9. Cf. etiam „Pudicitia" in nummis Mamaeae, Cohen IV Mam. 52—54, et Alexandri, Annuaire 10 p 159 n. 488. Cf. Thiele l.l. p. 16. 12) V. Al. Sev. 41,2.

ribus de propriis moribus gessit. Imitati sunt eum magni viri et uxorem eius matronae pernobiles."

Balnea mixta Romae exhiberi prohibuit. [1]) A mulieribus famosis matrem et uxorem suam salutari vetuit. [2]) Infinitumque numerum mulierum infamium, quas post Antonini mortem Romae deprehenderat, publicari iussit, exsoletis omnibus deportatis aut naufragio mersis [3]). Etsi vetare in animo versavit, ut essent publici exsoleti, ne prohibens publicum dedecus in privatas cupiditates converteret, veritus omisit. [4]) Eunuchos contemptui habuit atque a muneribus removit. [5])

Severus Alexander materque eius, cultissimi ipsi, bona multorum institutio quanti aestimanda esset intellexerunt. Rhetoribus grammaticis medicis haruspicibus mathematicis mechanicis architectis salaria instituit et auditoria decrevit, [6]) qua in re Ulpiani Paulique voluntati adversatum eum esse veri est simile. [7]) Discipulos iis cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari iussit. [8]) Etiam in provinciis oratoribus forensibus, quos gratis agere constaret, annonas dedit. [9])

In urbe exornanda Alexander ut multi alii imperatores multam operam et pecuniam consumpsit. Inter alia Aquam Alexandrinam [10]) construxit et anno 226

---

[1]) V. Al. Sev. 24,2. Cf Thiele l.l. p. 16 sq. [2]) V. Al. Sev. 25,10. [3]) V. Al. Sev. 34,4. [4]) V. Al. Sev. 24,4. [5]) V. Al. Sev. 23,6. 45,4, quibus locis Lampridius, suum tempus respiciens, veritatem egressus est. Cf. Thiele l. l. p. 37. [6]) V. Al. Sev. 44,4. Cf. Thiele l. l. p. 29. Cf. etiam V. Al. Sev. 27,5. [7]) Ulpian. Corp. Iur. Anteiust. II p. 371. Paul. Sent. V 21; quae cum non Paulus solus, sed probabiliter etiam Ulpianus, antequam Alexander regnavit, scripsisse videantur (Cf. Goerres Zeitschr. f. wiss. Theol. 1877 I p. 75 sq.), necesse non est, quod fecit Tillemont H. d. E. III p. 203, huic vitae loco fidem abiudicare. [8]) V. Al. Sev. 44,4. [9]) V. Al. Sev. 44,5. [10]) V. Al. Sev. 25,3. Cf. Gilbert Gesch. u. Top. der St. Rom im Alt. III p. 276.

Thermas Alexandrinas.[1]) Palatium quoque amplificatum est [2]), et in eo diaetae Mamaeae nomine factae sunt. [3])

Magnam operam dedit princeps, ut thermae et balneae quam maximo usui omnibus essent. [4])

Statuas multas locavit, divorum praecipue imperatorum in foro Transitorio, additis titulis, qui res gestas ordine dispositas continebant. [5]) Basilicam Alexandrinam, quam instituerat, ad finem non perduxit, morte praeventus. [6]) Isium quoque et Serapium [7]) atque anno 223 Amphitheatrum Flavium [8]) ornavit. Iovis Ultoris templum aedificatum est. [9]).

Etiam extra Romam multa constructa sunt, Baiis inter alia [10]) palatium cum stagno, quod Mamaeae nomen accepit, [11]) praeterea in Italia provinciisque castella, viae, aquaeductus, pontes, balneae, ad quae facienda ipse pecuniam dedit. [12])

---

[1]) V. Al. Sev. 25,3—4. Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 147) Hieronym. et Cassiod. ad annum 226. Eutrop. VII 15,2 et nummi, quos affert Thiele l.l. p. 18 sq. Cf. etiam Gilbert l.l. p. 276 et 298. Groebe l.l. p. 2532. [2]) V. Al Sev. 25,7. Cf. Thiele l.l. p. 20. Gilbert l. l. p. 182. [3]) V. Al Sev. 26,9. Aur. Vict. Caes. XXIV 5. Eutrop. VIII 23. Hieronym. et Cassiod. ad annum 230. Cf. Thiele l. l. p. 23. [4]) V. Al. Sev. 24,5—6. 25,6. [5]) V. Al. Sev. 25,8. 28,6. De hac re cf. Enmann Philol. Suppl. 4,1884 p 337sqq. [6]) V. Al. Sev. 26,7. [7]) V. Al. Sev. 26,8. [8]) Eckhel VI 270. Cohen IV 468sq. 247. Cf. Groebe l. l. p. 2532. Hopkins l. l. p. 171 sq. [9]) Cf. Thiele l.l. p. 20 sq., qui nummos affert. [10]) V. Al. Sev. 26,10. Cf. Thiele l.l. p. 24. [11]) V. Al. Sev. 26,9. Amm. Marc. XXVIII 4,19. Aur. Vict. Caes. XXIV 5. Eutrop. VIII 23. Cf. Thiele l.l. p. 23 sq. [12]) V. Al. Sev. 26.11. 39,4, et inscriptiones, quas afferunt Schiller l.l. p. 772 adn. 6. Groebe l.l. p. 2532. Hopkins l.l. p 176 sqq. Thiele l.l. p. 24 et 27.

VII.

In vita sua privata familia imperatoria quas a subiectis suis flagitabat virtutes sectata est.

Iulia Mamaea, quae domi suae mores tam corruptos vidisset, quorum ne filius quid traditum haberet verebatur, per adolescentiam eius diligenter aulam custodiebat, ut omnia perniciosa omnesque illecebras ab eo arceret.[1]) Cum vero Alexandrum adultum moderate vixisse narretur,[2]) matris eius metus vanos fuisse apparet.

Primis imperii annis eius educatio, de qua locuti iam sumus, absoluta est.[3]) In Latinis non multum profecit nec valde amabat Latinam facundiam,[4]) Graeca vero lingua facile utebatur.[5]) Litterae vehementer eum delectabant; historicos ut vere vitam ipsius in litteras mitterent adhortabatur.[6]) Graecos in deliciis habebat auctores, Platonem praecipue; Latinos Ciceronem, Serenum Sammonicum, Horatium legebat; vitas quoque Alexandri Magni, cui singularem cultum tribuebat.[7]) Litteris se recreari dicebat.[8]) Recitationibus saepe libenter intererat.[9]) Homines litteratos ab eo variis modis sublevatos esse conicere licet, quod de Dione Cassio[10]) et de Africano[11]) exploratum habemus. Hippolytum Iuliae Ma-

[1]) Herod. VI 1,5. [2]) V. Al. Sev. 39,2. [3]) V. Al. Sev. 3,3. Vide p. 27 et 31. [4]) V. Al. Sev. 3,4—5. [5]) V. Al. Sev. 27,5. [6]) V. Al. Sev. 3,4—5. [7]) V. Al. Sev. 30,1—3. 35,1 et 4. 39,1. [8]) V. Al. Sev. 34,7. [9]) V. Al. Sev. 35,1—2. [10]) De eo vide in cap. VIII. [11]) Cf. Gelzer Iul. African. I p. 12 sqq. Peter die gesch.Litt. über die Röm. Kais. I p. 94.

maeae opus, de quo postea sermo erit, dedicasse veri est simile.[1]) Aspasium illis temporibus ab epistulis fuisse constat.[2]) Magnam curam in scrinia sua princeps contulit: scrinii a memoria gravitas aucta est;[3]) procurator a mandatis tunc primum institutus est[4]) et, qui imperatoris commentarios diurnos privatos scriberet, procurator ab ephemeride.[5])

Severus Alexander haud dubie ingeniosus erat, quam quam Lampridii in maius id augentis testimoniis fiduciam habere non possumus[6]). Sed Aurelius Victor[7]) quoque eum ingenio supra aevum fuisse narrat. Facetus erat[8]), rerum memoriam singularem habebat[9]); omnibus artibus ac disciplinis delectationis causa operam dedit.[10])

Originem suam Syram oblitterare studebat et ægerrime ferebat, cum quodam tempore festo Antiochenses Aegyptii Alexandrini conviciolis, ut solebant, lacessentes Syrum archisynagogum et archiereum eum vocarent.[11]) Stemma depingi iussit, quo ostenderetur genus suum a Metellis descendere[12]). Quod postea in eo reprehensum est[13]); prudens tamen princeps Romanus id fecit.

Eius vivendi rationem fuse nobis explicat Lampridius. Matutinis horis, si castus sibi videbatur, in larario suo rem divinam faciebat[14]); si id non poterat, vectabatur vel piscabatur vel deambulabat vel venabatur[15]). Deinde, sed etiam, si necessitas cogebat, iam ante lucem, actibus publicis operam dabat fronte semper

[1]) Vide cap. XI. [2]) Philostr. V. S. II 33 et 628. Suidas p. 614 B. [3]) V. Al. Sev. 31, 1. Cf. Hirschfeld l.l. p. 213. [4]) C. I. L. III 536. Cf. Friedländer R. Sitt. I. 5 p. 176. [5]) C. I. L. III 536 Cf. Hirschfeld l.l. p. 206 adn. 1. Friedländer l.l. [6]) Cf. Lécrivain l.l. p. 219, qui tamen iniuste de his testimoniis iudicat. [7]) Aur. Vict. Caes. XXIV 2. [8]) V. Al. Sev. 44,1. [9]) V. Al. Sev. 14,6. [10]) V. Al. Sev. 27,5—10. [11]) V. Al. Sev. 28,7. [12]) V. Al. Sev. 44,3. [13]) V. Al. Sev. 64,3. [14]) Vide infra in cap. XI. [15]) V. Al. Sev. 29,3.

pari et laetus ad omnia [1]). Adolescenti iam ei mater, ut per maiorem diei partem iudicaret, persuadebat, ut bonis utilibusque negotiis occupatus ad impetus peiores, si in eo inessent, sequendos tempus non haberet [2]).

Deinde Alexander auctorum lectioni [3]) atque exercitationibus gymnasticis se dabat [4]), lavabatur, in thermis nonnunquam publicis [5]). Balneas egressus prandium sumebat [6]), quo refectus postmeridianas horas subscriptioni et lectioni epistularum semper tribuebat [7]).

Quatenus Iulia Mamaea omnibus illis negotiis interfuerit, nescimus; cum vero filium suum semper consiliis rexerit, assiduam cum illo eam fuisse credo.

Epistulis perlectis amici demum admittebantur, omnes simul, neque unquam solum quemquam nisi Ulpianum videbat imperator, iustitiae causa [8]); libenter cum iis erat, amicus amabilis et fidelis. [9])

Cum recreari vellet, pueriliter avium, quarum infinitum numerum, palumbes praecipue, alebat, ludis ac certaminibus oblectabatur. [10])

Theatralia spectacula, matre sine dubio comitante, frequentabat, cum summa tamen donandi parsimonia [11]). Agonibus praesidebat et maxime Herculeo in honorem Alexandri Magni. [12])

Familiae imperatoriae epulae simplicissimae erant: prandium, quod hodie „vegetarium" vocamus [13]) ac cena, in qua vasis mantelibusque mediocribus sed puris utebantur. [14]) Quod vero Epitome [15]) narrat, Iuliam Mamaeam, si mensae prandioque superessent, alteri convivio reposuisse, fide dignum non est.

---

[1]) V. Al. Sev. 29,4. [2]) Herod. VI 1,6. [3]) V. Al. Sev. 30,1—3. [4]) V. Al. Sev. 30,4. [5]) V. Al. Sev. 30,4. 42,1. [6]) V. Al. Sev. 30,5—6. [7]) V. Al. Sev. 31,1. [8]) V. Al. Sev. 31,2—3. [9]) V. Al. Sev. 4,5. 20,1—2. 32,1. 44,1. [10]) V. Al. Sev. 41,5—7. [11]) V. Al. Sev. 37,1. 44,6. [12]) V. Al. Sev. 35,4. Cf. Thiele l.l. p. 26. [13]) V. Al. Sev. 30,5. Cf. Hopkins l.l. p. 82. [14]) V. Al. Sev. 34,1. 37,2. [15]) Epit. de Caes. XXIV 5.

Edacem Alexandrum fuisse Lampridius [1]) dicit, quod confirmant cibi, quos enumerat. [2]) Semper de manu sua ministris convivii victum diurnum dabat, senili prorsus maturitate patrem familias agens. [3]) Cum inter suos convivaretur, aut Ulpianum aut alios doctos homines adhibebat, ut haberet fabulas litteratas. [4]) Librum quoque in mensa habebat et legebat. [5]) Publica convivia eadem agebantur simplicitate atque privata; [6]) multitudine convivarum princeps offendebatur. [7])

Etiam quod ad vestes attinet, Alexander Elagabalo contrarius erat. Vestimentis pretiosis nunquam utebatur [8]) neque gemmis [9]); matronis imperatoriis unum reticulum, inaures, bacatum monile, coronam, cum qua sacrificium facerent, unicum pallium auro sparsum, cycladem permisit. [10]) Gemmas sibi oblatas vendebat. [11]) Dona regia in templis posuit; [12]) et cum legatus quidam uniones duos uxori eius magni ponderis atque inusitatae mensurae dedisset, cum pretium non invenirent, inauribus Veneris eos dicavit. [13])

Aulicum ministerium in id contractum est, ut essent tot homines in singulis officiis, quot necessitas postularet [14]); nec quidquam eunuchi in palatio curabant nisi balneas feminarum. [15]) Servi ac liberti vestimentis discernebantur. [16]) Nani, moriones, acroamata,

---

[1]) V. Al. Sev. 37,11. [2]) V. Al. Sev. 37,3—12. [3]) V. Al. Sev. 37,4—5. [4]) V. Al. Sev. 34,6. 4,3. [5]) V. Al. Sev. 34,7. [6]) V. Al. Sev. 34,7. 39,1. Argentum et ministros, quando epulas publicas daret, mutuos eum accepisse ab amicis tradit V. Al. Sev. 41,4, sed fide indignum hoc testimonium est; hic quoque Lampridius suum tempus respicit. Cf. Peter die S. H. A. p. 14 adn. 1. [7]) V. Al. Sev. 34,7. [8]) V. Al. Sev. 4,2. 33,3—4. 40,1 et 7—10. [9]) V. Al. Sev. 4,2. 51,1. [10]) V. Al. Sev. 41,1. [11]) V. Al. Sev. 41,1. 51,1. [12]) V. Al. Sev. 51,1. [13]) V. Al. Sev. 51,2. [14]) V. Al. Sev. 42,2—3. 41,3. Iure Mommsen Hermes 1890,25 p. 242 adn. 1 sententiam Hirschfeldii l.l. p. 197. castrenses ministros omne aulicum ministerium significare contendentis, impugnat. [15]) V. Al. Sev. 23,4—5. [16]) V. Al. Sev. 23,3.

eiusdem generis homines ex aula abiecti sunt. [1]

Iuliae Mamaeae parsimonia, tam in vita privata quam in administratione publica observata, avaritiae criminis, quo multi eam affecerunt, [2] causa fuit. Cum tamen Antoninus aerarium turbasset cumque ipsa salutem communem augere neque vectigalia aggravare vellet neque congiaria atque donativa, quibus populus militesque assueti essent, [3] omittere posset, necessaria ea parsimonia erat, quamquam Romanis insolita, quippe qui principes semper luxuriosos esse cognovissent. Dubitari vero non potest, quin moribus eius penitus insita quoque fuerit, matrisque eius vita eam, quanta sit vis pecuniae, docuerat; sua cupiditate, non utilitate communi impulsam eam esse credere non licet. [4] In Alexandro quoque avaritia reprehensa est; [5] matris tamen parsimoniam eum secutum esse ex omni eius administratione apparet. Falsum igitur testimonium est Herodiani, matris iniurias aegre eum tulisse contendentis, quod pecunias, quas militibus daret, colligere se simulans, revera sibi opes cumularet, quin etiam ab aliis surriperet. [6]

Uxor Severi Alexandri atque Augusta per annos 225 ad 227 secundum nummos titulosque [7] Gnaea

[1]) V. Al. Sev. 34,2—5. [2]) Herod. VI 1,8 et 9,8. Zonar. XII 15 p. 572 (qui hunc locum sine dubio ex Herodiano hausit. Cf. Boissevain l.l.) V. Al. Sev. 14,7 (quod testimonium itidem ex Her. pendet. Cf. Lécrivain l.l. p. 213). Zosim. I 12. Iulian. Conv. p. 402 Hertl. Hopkins l.l. p. 54 sq. [3]) Vide infra in cap. VIII. [4]) Cf. Réville l.l. p. 263 sq. [5]) V. Al. Sev. 44,2. 64,3. Zosim. I 12. Iulianus l.l. [6]) Herod. VI 1,8, ubi denuo ergo ex fonte Mamaeae adverso hausit. Cf. Daendliker l.l. p. 211. [7]) I. a.: C. I. L. II 3734. VIII 9354 sq. X 1652 sqq. Compt. rend. de l'Acad. d'Hipp. 1893 p. V. — Recueil p. 113 n. 40 sq. Cohen IV 478 sq. 486 sqq. 502. Eckhel VII 284—286. Bithyn. Münze Alexandria n. 1714. 1718 sqq. Dattari 4446 sq. 4449 sqq. Feuardent n. 2534. 2538 sqq. Zeitschr. f. Num. 13,1885 p. 245. 20, p. 266. Mionnet IV n. 202. 2739 sqq. Hunter 2 p. 533 n. 5. Cf. Groebe l.l. p. 2540. Prosop. Imp. Rom. III p. 193 n. 252. Thiele l.l. p. 71.

Seia Herennia Sallustia Orba [1]) Barbia Orbiana fuit. Formosam mulierem fuisse imagines ostendunt, [2]) alacrem et mente praeditam; vultum imperiosum habuisse videtur. Ex nummorum numero ac specie non parvae eam auctoritatis fuisse apparet. [3]) In nummis nonnullis una cum solo imperatore vel cum marito et socru repraesentatur. [4])

De aliis Alexandri uxoribus neque nummi neque inscriptiones loquuntur.

In Vita autem Al. Sev. [5]) hoc legimus Dexippi testimonium: „Dexippus dixit uxorem eum cuiusdam Macrini filiam duxisse eundemque ab eo Caesarem nuncupatum. Verum cum vellet insidiis occidere Alexandrum Macrinus detecta factione et ipsum interemptum et uxorem abiectam."

Polemius Silvius [6]) Alexandro imperante Sallustium tyrannum fuisse dicit.

In duobus titulis [7]) anni 224 vel 225 nomen cuiusdam soceri imperiique consortis Alexandri erasum est.

Secundum Lampridium [8]) Varius Macrinus, imperatoris adfinis, feliciter res gessit in Illyria.

Herodianus [9]) vero nobilem narrat uxorem duxisse Alexandrum, cuius amore flagraret; tum Iuliam Mamaeam, contumelia eam afficientem solamque se Augustam esse cupientem, huiusque tituli causa ei invidentem, [10]) tantam sibi intemperantiam sumpsisse, ut pater illius uxoris, quamquam in magno ab impe-

[1]) Cf. Thiele l.l. p. 71. [2]) Cf. Bernoulli l.l. p. 106. [3]) Cf. Hopkins l.l. p. 58. [4]) Cohen IV 478 et 502. [5]) V. Al. Sev. 49,3—4. [6]) Polem. Silv. Laterc. (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 521.) Tyranni enim, quos enumerat, non ad Elagabali imperium, sed ad Alexandri pertinent. Cf. Mommsen l.l. [7]) C. I. L. VIII 1492 (=15524) et 15525. [8]) V. Al. Sev. 58,1. [9]) Herod. VI 1,9. [10]) („*Βασίλισσα εἶναι θέλουσα μόνη, φθονοῦσά τε τῆς προσηγορίας ἐκείνῃ*" quibus ex verbis sive Alexandri illam uxorem Augustam fuisse, sive Mamaeam, quominus hunc titulum illa acciperet, impedivisse efficere possumus.

ratore honore habitus, quod non iam Mamaeae, quibus eum filiamque suam afficiebat, contumelias ferre posset, in castra fugerit, Alexandro gratias agens, sed matrem eius accusans; deinde Mamaeam iratam interfici eum filiamque eius ex aula pulsam in Libyam deportari iussisse, invito Alexandro et vi coacto. Herodiani narrationem Zonaras [1]) sequens verba illa ancipitia ita interpretatur, quasi Iulia Mamaea, quominus nurus sua Augusta fieret, impediverit.

Denique Lampridius [2]) uxorem quandam Alexandri Memmiam, Sulpicii consularis viri filiam, appellat. In titulo anni 226 [3]) obviam est nomen Memmiae Sosandris, cognatae fortasse illius Memmiae. Anno 141 vel 142 Memmius Macrinus quidam consul fuit. [4])

Quid autem ex omnibus his testimoniis colligamus? Mea quidem opinione semel tantum Severum Alexandrum matrimonium iniisse veri est simile, cum unius tantum uxoris nummi ac tituli mentionem faciant. Quod si recte ponimus, cuncta illa testimonia de eadem uxore de eodemque socero loquuntur. Macrini igitur filia Orbiana erat, Augusta per annos 225-227. Hic Caesar Macrinus, cuius filia Sallustia Orbiana appellabatur, sine dubio ille quem Polemius Silvius commemorat Sallustius est et ille Varius Macrinus, qui in Illyria bellum gessit (nomen igitur eius est Sallustius Varius Macrinus [5]), et imperii ille consors, quem tituli memorant. Idem quoque est atque ille socer, de quo Herodianus et Zonaras nobis narrant. Cum postea quidam Memmius Macrinus vocatus sit, Memmiam Macrini filiam fuisse improbabile

1) Zonar. XII 15 p. 572: „ἣν οὐ συνεχώρησε αναρρηθῆναι Αυγοῦσταν"
2) V. Al. Sev. 20,3. 3) C. I. L. XIII 1811. Cf. Thiele l.l. p. 69. Ipsius Memmiae nummus, quem se vidisse Goltz contendit, ignotus nobis est et falsus fuisse videtur. Cf. Eckhel VII 284.
4) Cf. Klebs Prosop. Imp. Rom. I p. 267 n. 145. Thiele l.l. p. 71.
5) Cf. Groebe l.l. p. 2541.

non est, praesertim cum Sulpicii nomen, quod Lampridius patri attribuit, suspectum sit. [1]) Haec coniectura titulo cognatae Memmiae confirmatur, quae anno 226 vixit: anno enim 226 Memmia imperatoris uxor fuisse videtur, quo anno Orbianam Augustam fuisse constat. Macrinus fortasse Memmius quoque audiebat, unde Lampridius filiam eius Memmiam appellat.

Mea autem sententia hoc modo res sese habet. Anno 225 Alexander adolescens domum duxit Orbianam, Sallustii Varii Macrini filiam, ex nobili gente ortam, Augustamque nomen ei dedit. Zonaras igitur verba Herodiani ambigua male intellexit.) Initio et patri et filiae quam maxime princeps favebat, ut, ipse minus bellicosus, anno 225 vel Caesarem fecerit socerum suum, praecipue, meo quidem iudicio, ad res militares componendas. [3]) Feliciter enim in Illyria ille bellum gessit, anno fortasse 226, ut videbimus. Iuliam Mamaeam veritam, ne sua potentia minueretur neve nimis, ut iam saepe timuerat, alterius cuiusdam arbitrio filius regeretur, Caesari illi minus favisse facile intelligitur. Mulieres vero concordissimas fuisse inde cognoscitur, quod in nummis nonnullis, ut vidimus, una repraesentantur; et Herodianum, in hac quoque narratione Mamaeae iniquissimum [4]), fide minus dignum esse quam Dexippi testimonium, persuasum habeo. Macrinus autem, quippe cuius studiosiores quam imperatoris essent milites, paulatim, praecipue cum feliciter bellum gessisset, tantam in se collocavit confidentiam, ut anno 227 rerum potiundi generique sui opprimendi consilium capere auderet. Sed insidiis detectis supplicio affectus est; et filia eius Iuliae Mamaeae impulsu in Libyam depoitata est. Hoc unum fortasse Herodiano dare possumus, Severum Alexan-

1) Cf. Thiele l.l. p. 70. 2) Cf. Groebe l.l. p. 2542. 3) De his et sequentibus rebus vide in Cap. VIII. 4) Cf. Daendliker l.l. p. 208 sq.

drum, quamquam pater perfidus extitisset, filiae, quippe quam valde amaret et quae fortasse conscia non esset veniam dare voluisse; tunc vero Mamaeam fortiter ei restitisse postremoque ei persuasisse.

Sed nequaquam, quam exposui, vulgata de his rebus opinio est, de quibus virorum doctorum sententiae maxime discrepant. Memmiam forsitan eandem esse atque Orbianam filiamque Macrini, unus Daendliker [1]) censuit; Thiele, [2]) Memmia Macrinique filia utrum eaedem sint, in medio relinquit, aliam vero hanc esse atque Orbianam existimat, ut mox videbimus. Eo, quod ad Memmiam attinet, excepto, cum Groebii, [3]) Schillerii, [4]) Mommsenii, [5]) Dessavii [6]) sententiis consentio. Lécrivain [7]) nomen Macrini, quod Dexippus exhibet, errore scriptum esse persuasum sibi habet, cum socer Sallustius appellaretur. Attamen utrumque nomen habuisse potest. Réville [8]) et Bernoulli [9]) ter Alexandrum matrimonium iniisse arbitrantur, bene igitur Zonaram Herodiani verba interpretatum esse neque Macrini filiam Augustam fuisse putantes, quam opinionem Porrath [10]) quoque et Thiele [11]) amplectuntur. At nequaquam Herodiani verba ita explicari necessarium est, ut iam vidimus. Hopkins [12]) et Thiele [13]) deinde nimium Herodiano, iniquum de Mamaea ferenti iudicium, crediderunt. Iniuria Hopkins [14]) Varii Macrini filiam necessario Variam appellatam esse censuit: vocabatur Sallustius Var. Macr., filia eius igitur Sallustia fuisse potest.

Macrini filiam aliam atque Orbianam fuisse et Alexandrum, antequam Orbianam duxerit, aliam etiam

---

[1]) Daendliker l.l. p. 208 adn. 3. [2]) Thiele l.l. p. 70. [3]) Groebe l.l. p. 2540 sqq. [4]) Schiller l.l. p. 774. [5]) Mommsen Chron. Min. I p. 521. [6]) Prosop. Imp. Rom. III p. 193 n 252. [7]) Lécrivain l.l. p. 224 sq. [8]) Réville l.l. p. 265. [9]) Bernoulli l.l.p. 106. [10]) Porrath l.l. p. 28. [11]) Thiele l.l. p. 69sq. [12]) Hopkins l.l. p. 56. [13]) Thiele l.l. [14]) Hopkins l.l. p. 57 adn.

uxorem habuisse, cuius pater Caesar fuerit, consortisque imperii igitur inscriptiones anno 224 positas esse, omniaque, quae narravimus, eventa ad Macrini filiam neque ad Orbianam pertinere existimat Thiele, [1]) has ob causas. „Difficile est," inquit, „putare Caesarem post duos demum annos qualis esset condicio sua secum reputavisse." Attamen nequaquam hoc difficile est, nam paulatim tantum eius potentia crevit. „Praeterea nummi Orbianam Mamaeamque concordissimas fuisse ostendunt", pergit Thiele, quod ei concedimus; Herodianum vero, Macrini filiam et socrum eius concordes fuisse negantem, errasse censemus. Argumento ei praecipue duo tituli sunt, [2]) in quibus Orbianae nomen erasum non est, propter quos eam remotam esse negat. At casu vel temere nomen servatum esse potest. Orbianae matrimonium nescit Thiele an per diuturnius etiam tempus duraverit, cum eius nummorum ingens copia extet; attamen ne unum quidem habemus, quem post annum 227 cusum esse constat. Si Thielii coniecturam sequaris, Sallustius tyrannus et Caesar Macrinus idem esse, quod ipsum meae coniecturae fundamentum est, non possint; et de priore illa uxore, cum tamen eius auctoritatem magnam fuisse necesse sit, non sine admiratione neque nummos neque titulos extare videmus.

Liberosne procreaverit Alexander nescimus; veri tamen non est simile. [3])

Alexandri epistula, [4]) qua matrem de sororis Theocliae marito eligendo consulit, a Capitolino ficta est. [5])

---

[1]) Thiele l.l. p. 72 sq. [2]) C. I. L. II 3734. VIII 9355. [3]) Cf. Groebe l.l. p. 2542. [4]) V. Max. 29,2—4. [5]) Cf. Lécrivain l.l. p. 83. Vide etiam p. 16.

VIII.

Alexandri imperii minus laudabilia iam nobis narranda sunt, res dico militares quomodo administraverit. Ubi tamen difficultates haud dubie graviores erant, quam quas bene componere posset, quarum culpa maximam partem in Septimio Severo erat, quippe qui militum potentiam auxisset nec disciplina eos coërcuisset, ut ab eo inde tempore nonnisi pecunia imperatores eorum benevolentiam captare potestas permittenda fuisset. Si minus recte haec ab corrigere exercitumque principatus fundamentum facere potuit; quod si fecisset, senatui parva tantum potestas permittenda fuisset. Si minus recte haec ab avunculo excogitata sibi viderentur, rerum statui ab eo creato finem imponere debuerat, exercitumque in provincias reducere (difficile sane et periculosum officium!) et Augusti principatum senatoribus fretum renovare. Sed neutrum faciens mediam quandam viam secutus est: senatus potestatem auxit, legiones tamen in Italia remanserunt neque minus quam antea potentiae suae confidebant. Infirma haec erat regnandi ratio neque quae bonos eventus excipere posset.[1]) Nusquam Iuliam Mamaeam hoc intellexisse filioque suo, ut aliter procederet, auctorem fuisse legimus. Fortasse fieri non potuit, ut mulier et iuvenis placidus hac in re ad bonum exitum per-

[1]) Cf. Réville l.l. p. 263 sq. [2]) Cf. Hopkins l.l. p. 97 sqq.

venirent, cum imperator militaris, quem suspiceret exercitus, desideraretur.

Alexandrum tamen maximi exercitum esse momenti perspexisse cura, quam in milites contulit, studiumque, quo eos ad se inclinare conabatur, indicant.[1]) Nonnunquam ipse matre coram milites adloquebatur.[2]) Tribunos supervacaneos initio imperii sui dimisit.[3]) Apparitores nullos esse passus est tribunis ducibusque[4]). Militibus fortiter militia functis, qui nondum obtinebant, rite civitatem dabat et conubium.[5]) Tribunorum erga milites iniuriae vindicabantur.[6])

Alexander instituit argyroaspides et chrysoaspides et triginta milium hominum, quibus maiora dedit stipendia,[7]) phalangem, Alexandrum Magnum imitatus, quem vel superare voluit.[8])

Legionum imperatoris nominis sumendi consuetudinem Severo Alexandro regnante apud auxiliorum quoque cohortes alasque invenimus.[9]) Iuliae Mamaeae quoque nomen legimus.[10])

Maximinus Thrax, qui iam antea bellatorem praestantissimum peritissimumque se ostenderat, sed Elagabalo regnante in angulum secesserat[11]), ubi primum comperit Alexandrum principem factum, Romam contendit; et ille omnibus tironibus, quos exerceret, eum

[1]) Ipsum numerum et tempora militantium adnotasse narrat V. Al. Sev. 21,6, sed fide minus dignum est hoc testimonium. Cf. Lécrivain l.l. p. 216. [2]) Cohen IV Alex. 3 sqq. Al. et Mam. 1. [3]) V. Al. Sev. 15,3. Cf. Hopkins l.l. p. 104. [4]) V. Al. Sev. 52,4. Digesta I 16,4. Cf. Lécrivain l.l. p. 226. [5]) C. I. L. III 893 et 1999. Cf. Groebe l.l p. 2533. [6]) V. Al. Sev. 15,5. 23,1, quamquam haec fide minus digna sunt testimonia. Cf. Lécrivain l.l. p. 214 et 216 sq. Thiele l.l. p. 39. [7]) V. Al. Sev. 50,5. [8]) V. Al. Sev. 50,4—5. [9]) Cf. Groebe l.l. p. 2533. Domaszewski Rhein. Mus. N. F. 58,4, p. 219. [10]) I. a. C. I. L. III 3008. Cf. Ruggiero l.l. p. 396. [11]) Herod. VI 8,1. V. Max. 1-5; de iis, quae minus recte narrat Capitolinus, cf. Lécrivain l.l. p. 269 sq.

praefecit. Hoc autem munus maxima cura exsequens militum benevolentiam sibi conciliavit. [1])

Secreta bellorum tacere solebat Alexander [2]); in expeditionibus omnia bene disponebat [3]); et aegrotantes diligenter curabat, [4]) neque eos, per quorum agros iter faciebat, damna capere patiebatur. [5]) Aevo iam graves captivos diversarum nationum amicis donabat, iuniores militiae, non tamen magnae, deputabat [6]). Maximi est momenti, quod sola, quae de hostibus capta erant, limitaneis ducibus (h.e. castellorum in finibus sitorum praefectis [7]) ac militibus donabat, ita ut eorum essent, si heredes eorum militarent neque unquam ad privatos pertinerent [8]).

Milites vero, quamquam maxime, ut princeps Alexander fieret, adiuverant, per annos paulatim ab eo abalienati sunt. Iam statim in odio habebant Ulpianum, quoniam severissime disciplinam servare vellet. [9]) Quod deinde Flaviano Chrestoque, hominibus militaribus, collega maior additus est, [10]) minime iis placuit. [11]) Mox autem turbae extiterunt: a Flaviano Chrestoque instigati milites in odiosum illum iuris consultum insidias machinati sunt, quas detexit vero atque ad

---

1) Herod. VI 8,2. V. Max. 5,3-7. 6,1 sqq.; haec Capitolini testimonia maximam partem a vero abhorrere videntur. Cf. Lécrivain l.l. p. 81 et 270. Nova enim illa legio nunquam conscripta est. Cf. Peter die S. H. A. p. 215. 2) V. Al. Sev. 45,2-3. 3) V. Al. Sev. 47,1. 51,6. 4) V. Al. Sev. 47,2-3. 5) V. Al. Sev. 51,6-52,1. 6) V. Al. Sev. 58,3. Hanc tamen rem Herod. V I7,17 neque affirmat, ut Lécrivain l.l. p. 228 putat, neque negat, ut Thiele l.l. p. 42 contendit, quippe quo loco non de captivis sermo sit. 7) Cf. Mommsen Hermes 25, p. 237 adn. 1. Thiele l. l. p. 31. 8) V. Al. Sev. 58,4. Cod. Iust. III 36,4. C. I. L. Suppl. p. 2001 (Dipl. 90). VIII 8701. fortasse VIII 20486. Cf. Mommsen Arch.-epigr. Mitt. 3 fasc. 3,1879 p. 2 sqq. Ephem. epigr. 4,1881 p. 508. Schiller l.l. p. 773 sq. Groebe l.l. p. 2533. Thiele l.l. p. 31 sq. Hopkins l.l p. 205 sqq. 9) Georg. Sync. p. 673. 10) Vide p. 41. 11) Zosim. I 11.

irritum redegit Iulia Mamaea; deinde utrumque perfidum praefectum morte multatum esse facile intellegitur. Uni Ulpiano praefecti praetorio munus mandatum est. [1]) Ex narratione nimis contracta, quae hac de re ex Dionis opere nobis superest, brevi ante Ulpiani mortem haec usu venisse colligas; quae tamen in prioribus Alexandri regni annis accidisse convenit hodie inter viros doctos, [2]) quia fieri non potest, ut Ulpianus tantam, quantam eventa ostendunt, auctoritatem habuisset, si per multos annos ei duo infensi collegae obstitissent. Xiphilini [3]) narratio, quam ex Dione excerpsit, praesertim quod Ulpianum collegas suos, ut iis succederet, interfecisse dicit, minus recta est. Mea sententia unus Xiphilinus in culpa est; Dio Cassius enim alio loco magni a se pendi ostendit Ulpianum, [4]) quocum se aequat; [5]) accedit, quod haud dubie Zosimi, quam ex Dexippo excerpsit, narratio veri multo similior ex Dione hausta est. [6])

Imperatori autem matrique eius aliter agendum non fuisse nemo negabit; manifestum tamen est, militum animos praefectorum morte magis etiam irritatos esse. Quod intellegens Alexander, hanc fortasse, quod quidem sentiam, praecipue ob causam anno 225 socerum suum Sallustium Varium Macrinum Caesarem sibi addidit, [7]) quem magis quam generum eius adolescentem suspexisse milites apparet, qui deinde aliquamdiu feliciter res militares moderatus est, dum, ut iam narravimus, [8]) potentiae suae nimis confidere coepit et sua culpa eam vitamque anno 227 amisit. Novam illam militibus irae causam fuisse suspicor, ad quos placandos denuo princeps,

---

1) Dio Cass. LXXX 2,2. Zosim. I 11. 2) Cf. Hopkins l.l. p. 128 adn. 3) Dio Cass. l.l. 4) Dio Cass. LXXX 2,2. 5) Dio Cass. LXXX 4,2. 6) Cf. Martin de Font. Zos. p. 16. Tillemont H. d. E. III p. 211. 7) Vide p. 59. 8) Vide p. 59.

qui iis impar, materque eius impigra, quae mulier erat, et iuris ille peritus invisus soli relicti sunt.

Quid mirum, quod mox negotia turbata sunt? Saepius milites necare conatos esse Ulpianum Alexandrumque eum obiectu purpurae suae defendisse apparet [1]). Denique anno, ut veri est simile, 228 [2]) in suspicionem vocatum (cuius rei, non liquet [3]), noctu eum aggressi sunt. In palatium ad Alexandrum ac Iuliam Mamaeam confugit; sed vel hoc ei non iam usui fuit: praesentibus sed impotentibus principe matreque eius praefectus praetorio interfectus est, [4]) quo adhuc vivente ex levi causa tumultus populi contra praetorianos ortus est, ut per tres dies Romae pugnatum sit et ab utraque parte multi ceciderint. Superati milites domus incendere coeperunt, quo timore perterritus populus invitus iis reconciliatus est [5]). In tantas angustias adductus erat Alexander, ut illis diebus nil agere potuerit utque Epagathum, caedis Ulpiani auctorem, palam supplicio afficere, ne novae turbae orirentur, ausus non sit, sed in Aegyptum, specie ut magistratu ibi fungeretur, missum, deinde in Cretam abductum morte multaverit. [6])

Ab eo inde tempore, ut dicit Zosimus [7]), cum hoc loco quoque Dionis narrationem, quam Xiphilinus breviorem reddidit [8]), fusius Dexippus descripsisse videa-

---

[1]) V. Al. Sev. 51,4. [2]) Cum Dio Cass. haec eventa brevi ante consulatum suum (anni 229) gesta esse (vide infra) tradat, et cum LXXX 4,2 haud dubie milites, quo tempore ipsum accusaverunt, i.e. anno 228 (vide infra), Ulpianum adortos esse putet. Nummos vero, quos Thiele l.l. p. 1 affert (Cohen IV 331. 339. 342. 347sq. multosque alios) non ad hanc seditionem, sed ad expeditionem contra hostes (Taurinum, nisi fallor. Vide infra) susceptam feliciterque peractam pertinere, persuasum mihi est (vide infra). [3]) Zosim. I 11, qui iam de causa non constare dicit. [4]) Dio LXXX 2,2. Zosim. I 11. Georg. Sync. p. 673 sq. [5]) Dio Cass. LXXX 2, 3. Zosim. l.l. [6]) Dio Cass. LXXX 2,4. [7]) Zosim. I 12. [8]) Dio Cass. LXXX 4,1.

tur, — ab eo inde tempore milites sensim ab omni erga principem benevolentia deficientes, segniores ad eius mandata exsequenda fiebant, et, ne desidiae poenas darent, timentes, seditiones movebant. Verum est hoc testimonium, quippe quod proxima eventa confirment.

Dio Cassius Cocceianus, inclitus ille rerum scriptor, multis iam functus muneribus anno 227 Pannoniae praefuerat [1]), ubi vir prisco more militaris milites severissimo tenuerat obsequio [2]). Romam autem postquam revertit, anno 228 milites urbani eum accusantes, ut sibi dederetur, postulaverunt, ne eodem quo Pannonicis modo iis praefuturus esset, veriti [3]).

Sed Alexander nulla eorum ratione habita omni modo Dionem extulit eumque secum consulem designavit in annum 229, [4]) ipsum se impensas huius muneris suppeditaturum pollicitus. Deinde vero militum iracundiae cedens princeps, ne, ut brevi ante Ulpianum, Dionem quoque necarent, metuens, a collega suo, ut extra Romam in Italia consulatus sui tempus degeret, petivit, ubi imperatoris in Campania morantis per nonnullos dies hospes fuit. [5])

Eventa illa sine dubio scriptoris opinionem, quam ex Maecenatis oratione, ab eo composita, [6]) colligimus, confirmarunt: Alexandri regnandi rationem bonam non esse, omnem fere potentiam penes principem esse debere. [7]) Iniuria vero Meyer [8]) ex verbis [9]) eius apparere censet offenso quodammodo animo eum fuisse in imperatorem eiusque matrem et consiliarios. Loci enim, quos ex Zonara ad hanc rem probandam

---

[1]) Dio Cass. LXXX 1,3. [2]) Dio Cass. LXXX 4,2. [3]) Dio Cass. l.l. [4]) Dio Cass. LXXX 5,1. Cetera testimonia apud Klein Fasti Consul. p. 99. [5]) Dio Cass. l.l. Thiele l.l. p. 23 sq. [6]) Dio Cass. LII 19 sqq. Cf. Meyer de Maecen. Orat. a Dione ficta. [7]) Cf. Meyer l.l. p. 92. [8]) Meyer l.l. p. 92 sq. [9]) Dio Cass. LXXX 5,1.

affert, partim [1]) non ex Dione, sed ex Herodiano hausti sunt, partim [2]) non eam, quam vult, in iis vituperationem inesse sentio. Neque Dionis excusatio, [3]) se Alexandri imperii eventa usque ad annum 229 summatim tantum narrare posse dicentis, quod illis temporibus Romae non fuerit et post consulatum statim in patriam suam Bithyniam profectus sit, ubi ea scripserit, mihi „futilis et inanis" videtur.

Lampridii [4]) de Ovinio Camillo rebellante fabula fide indigna est. [5])

Dio Cassius [6]) vero testatur, tanta insolentia tantaque temeritate usos esse milites, ut in Mesopotamia praepositum suum Flavium Heracleonem interfecerint, anno, ut apparet, 228. [7]) Epitome [8]) autem Alexandro regnante Taurinum quendam a militibus Augustum factum, deinde ob timorem ipsum se in Euphratem fluvium abiecisse scribit.

Zosimus [9]) duas cognitas habet seditiones: copiae tumultuantes Antoninum imperatorem salutaverunt; postquam hic imperii molis impatiens fugit ac sine vestigiis interiit, Uranius quidam, servili loco natus, principem se pronunciavit, sed mox prehensus ad Alexandrum adductus est.

Georgius Syncellus [10]) quoque Uranium Edesae in Osdroena imperatorem factum ab Alexandro belli Persici temporibus superatum esse narrat.

Polemius Silvius [11]) Uranii, Seleuci, Taurini mentio-

---

[1]) Zonar. XII 15 p. 572: „ὁ δὲ ἀντειπεῖν cet." (cf. Boissevain 1 l.) et p. 573 sq. [2]) Zonar XII 15 p. 571 B: „καὶ περὶ τὸν υἱόν cet." et „Δομιτίῳ δέ γε cet." [3]) Dio Cass. LXXX 1 et 2. [4]) V. Al. Sev. 48. [5]) Cf. Lécrivain l.l. p. 224. [6]) Dio Cass. LXXX 4,1—2. [7]) Eodem enim loco accusationem, quam milites contra ipsum intenderant, narrat. [8]) Epit. de Caes. XXIV 2. [9]) Zosim. I 12. [10]) Georg. Sync. p. 673 sq. [11]) Polem. Silv. Laterc. (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 521); de hoc loco vide p. 57 adn. 6)

nem facit. De Seleuco illo nil amplius compertum habemus.

Multis annis post Alexandri regnum cum alius quis Emesae principatum occupans Uranius Antoninus appellatus sit, [1]) Uranium et Antoninum, qui nobis se offerunt, unum eundemque fuisse manifestum est et Georgium Syncellum, errori etiam alias apud eum obvio [2]) obnoxium, Edesam pro Emesa scripsisse. [3]) Unus Zosimus huic opinioni obloqui videtur; cum tamen quae de Antonino narrat mirum in modum cum iis quae de Taurino Epitome dicit, congruant, mihi Zosimum errantem Antoninum pro Taurino scripsisse persuasum est, praesertim cum Dexippus in fonte suo Dione Cassio [4]) Taurini et Uranii Antonini nomina legerit, quae facile confundere potuit. Nonnulli [5]) Taurinum eundem esse atque Uranium Antoninum, Zosimum igitur ex una seditione duas fecisse existimant, quae probare nequeo: Zosimus enim optimo utebatur fonte et, quae de utroque narrat, quam maxime diversa sunt. Dessavii [6]) argumentum Syriam sedem fuisse tam Taurini quam Uranii monentis, nullius est momenti: quippe ex qua re colligere licet milites in Syria ad tumultus propensos fuisse, non tamen eundem fuisse Taurinum atque Uranium; Taurinus praeterea in regione prope Euphratem, Uranius Antoninus vero Emesae ad bellum consurrexit. [7]) Iniuria quoque Hopkins [8]) Epitomen errore Taurinum pro Uranio scripsisse putat: neglegit Polemii Silvii testimonium. Ipse falsae suae opinioni

---

[1]) Cf. Dessau Prosop. Imp. Rom. II p. 140 n. 125, qui iniuria non nisi unum existimat extitisse Uranium Antoninum, cuius imperium errore ab auctoribus Alexandri aetati tribuatur. Mommsen l.l. adn. recte duos distinguit Uranios Antoninos, patrem et filium fortasse. [2]) Cf. Dessau l.l. Groebe l.l. p. 2536. [3]) Cf. Mommsen l.l. Dessau l.l. Groebe l.l. [4]) Cf. Martin l.l. p. 16. [5]) Dessau l.l. Lécrivain l.l. p. 224. [6]) Dessau l.l. [7]) Cf. Groebe l.l. p. 2534. [8]) Hopkins l.l. p. 135 adn. 2.

adversatur,[1]) Taurini seditionem recte cum caede Heracleonis, anno 228 occisi, coniungens; nummos[2]) quoque, anno 228 victoriam quandam reportatam esse demonstrantes, huc pertinere censeo.

Itaque hoc modo res gestae sunt: anno 228 in Mesopotamia copiae praefecto suo interfecto Taurinum imperatorem salutaverunt; sed postquam Alexander exercitum ad eum impugnandum misit, Taurinus sibi mortem conscivit. Neque tamen Hopkinsio[3]) hanc Iunii Palmati victoriam esse in Armenia reportatam concedo, quam quinto vel quarto iam anno ante partam esse mox videbimus.

Quod autem ad Uranium Antoninum attinet, nummos, quos Groebe et Hopkins afferunt,[4]) non huc, sed ad alterum illum Uranium Antoninum pertinere constat.[5]) Ad hanc seditionem belli Persici tempore motam, anno igitur 232, revocanda quoque sunt testimonium Herodiani,[6]) copias in Syria illo tempore novis rebus studuisse dicentis, et Lampridii[7]) de militum intemperantia narratio.

Ubi rerum Alexandro imperante in Mauretania Tingitana, in Illyrico, in Armenia, in Isauria feliciter gestarum mentionem facit Lampridius,[8]) hostes victos nec tumultus sedatos[9]) verba eius spectare mihi

[1]) Hopkins l.l. p. 131. [2]) Inter alios illos quoque nummos, quos mortem Ulpiani respicere Thiele arbitratur (Vide p. 66 adn. 2). Victoriae anno 228 reportatae mentionem faciunt: Cohen IV 331-349. 351-355. 360. Korr. bl. des Ver. f. siebenb. Landesk. 13,1890 p. 40 n. 88. Bachofen 1871. Mionnet IX 506. Hunter 3 p. 498 n. 670. Dattari 4253. B. M. Alexandria 760. Cf. Hopkins l.l. p. 132 sq. Thiele l.l. p. 1 adn. 2. [3]) Hopkins l.l. p. 131. [4]) Mionnet V 230. Suppl. VIII 158. Cohen IV 503 sq. Cf. Groebe l.l. p. 2536. Hopkins l.l. p. 134 sq. [5]) Cf. Dessau l.l. p. 170 n. 125. Mommsen l.l. Vide etiam p. 69 adn. 1. [6]) Herod. VI 4,7. [7]) V. Al. Sev. 53 sq.; de hoc loco et de V. Al. Sev. 57,2 vide infra in Cap. IX. [8]) V. Al. Sev. 58,1. [9]) Ut minus recte Hopkins l.l. p. 131 sq. putat.

videntur. Hae igitur illae victoriae sunt, quas Dio Cassius[1]) strictim commemorat.

Secundum nummos inscriptionemque unam[2]) victoria Isaurica anno 227 reportata est. Praeterea ex nummis atque inscriptionibus unoque Codicis Iustiniani loco, quae argumenta affert Thiele,[3]) annis 224,[4]) 225,[5]) 226[6]) bellatum esse apparet. Minus recte ex una de illis inscriptionibus[7]) victoriam, anno 224 reportatam, eandem esse putat Thiele[8]) atque eam, quam Varius Macrinus adeptus est in Illyria, ad quam mihi quidem anni 226 testimonia revocanda esse videntur, quia illo anno Alexandri adfinis fuit Macrinus.[9]) Iunii Palmati in Armenia, Furii Celsi in Mauretania Tingitana victoriae annis igitur 224 et 225 partae sunt. Itaque Schillerii[10]) sententia, qui victorias illas tempore fere belli Persici reportatas esse existimavit, repudianda est.[11])

Exercitum igitur mox ab Alexandro abalienatum esse nullamque principem apud eum auctoritatem habuisse luce clarius nobis iam est. Quotiens militum voluntati resistere conabatur, ut verbi causa cum Dionem honoribus ornaret, nunquam consilia ad finem perducere poterat. Prorsus ergo incredibile est,[12]) quod nonnullis locis legimus, maxima eum constantia

[1]) Dio Cass. LXXX 3,1. [2]) Mionnet VII 265. B. M. Galatia p. 89 n. 315. C. I. L. III 6784. [3]) Thiele l.l. p. 104 sq. [4]) Cod. Iust. VII 35,1. Cohen IV 256. Acta Arv. p. CCXIV (Henzen) (= C. I. L VI 2107). C. I. L. III 950. 7591. [5]) Cohen IV 267 sqq. [6]) Cohen IV 296. Lenormant Rev. num. 1842 p. 332 sqq. Froehner p. 168 sqq. [7]) C. I. L. 7591: (Moes. inf.) Dis militaribus Genio Virtuti Aquilae sanc(tae) Signisque leg. I Ital. Severianae M. Aurel(ius) Iustus domo Ho[r]rei Margensis m(unicipio?) Moesiae superioris ex (trecenario) p.p. d.d. Dedic(atum) XII Kal. Oct. Iuliano II et Crispino cos. [pe]r Annium Italicum leg. Aug. pr. pr. [8]) Thiele l.l. p. 104. [9]) Vide p. 59. [10]) Schiller l.l. p. 781. [11]) Cf. Hopkins l.l. p. 132. Thiele l.l. p. 105. [12]) Cf. Schiller l.l. p. 773. Réville l.l. p. 264 adn. 3. Groebe l.l. p. 2533.

militarem disciplinam severissime rexisse[1]) saepiusque tumultuantes legiones exauctoravisse.[2]) Semel revera hoc facere conatus est, sed tristissimo exitu: hanc enim ob causam interfectus est.[3]) Quo ex facto in maius aucto fortasse incredibilis illa fabula orta est.[4])

Laudat Alexander in nummis,[5]) in quorum nonnullis mater quoque eius repraesentatur, fidem ac pietatem exercitus, sed nil aliud nisi quantopere princeps et Iulia Mamaea has virtutes in militibus inesse cupiverint ex iis evincitur.[6])

Hopkins[7]) monet, imperatorem matremque eius,[8]) quamquam per 13 annos regnaverit, multo rarius multoque negligentius a militibus inscriptionibus coli atque observari quam e.g. Septimium Severum et Caracallam coluerunt.

---

[1]) V. Al. Sev. 12,4. Eutrop. VIII 23. Hieronym. Chron. ad annum 223. [2]) V. Al. Sev. 12,5. 52,3. 53—54. Hieronym. l.l. [3]) Vide infra in cap. X. [4]) Cf. Lécrivain l.l. p. 228. [5]) Cohen IV 49 sqq. 200. Al. et Mam. 9 sq. [6]) Cf. Groebe l.l. p. 2534. [7]) Hopkins l.l. p. 123 sqq. [8]) Iulia Mamaea i.a. Hübner Ex. Script. Epigr. Lat. 542. C. I. L. II 2664. III 798. 3638 sq VII 203. XII 144.

IX.

Talis igitur rerum status erat, quo tempore bellum Persicum exarsit.

Ardasjīr enim sive Artaxerxes, rex Persarum, qui saeculo tertio ineunte, leges, religiones atque ingenium sincerum Persarum restituere conatus, validum fundaverat regnum, post tria proelia anno 227 regem magni Parthorum imperii, Ardavân sive Artabanum, victum interfecerat et regiones circumiectas subegerat.[1]) Mediae quoque occupatio ei successit; in Armenia vero ab Artabani filiis profligatus est.[2])

Ex inscriptione quadam,[3]) quae honores nos docet Timesitheo habitos, Domaszewski[4]) anno iam 226 Arabiae praefectum ad fines Romanos tuendos profectum esse collegit. Ea sententia accepta Krauss[5]) ex Eliae, quae vocatur, Apocalypsi Hebraea deinde tribus deinceps annis, 226-228 igitur, in finibus Romanis Artaxerxis copias cum tribus ducibus Romanis

---

[1]) Dio Cass. LXXX 3,2. Herod. VI 2,1. Zonar. XII 15 p. 572. Tabarî Gesch. der Sasaniden a Noeldekio versa p. 11 sqq. Cf. Noeldeke Aufs. z. pers. Gesch. p. 88 sq., cuius conclusiones emendavit von Gutschmid Gesch. Irans p. 160 sqq. Cf. etiam Groebe l.l. p. 2534 sq. [2]) Dio Cass. LXXX 3,2—3. Zonar. l.l. Tabarî l.l. Cf. Noeldeke l.l. p. 89. Groebe l.l. [3]) C. I. L. XIII 1807. [4]) Rhein. Mus. N. F. 58,218—230. Iure vero Rühl Rhein. Mus. N. F. 1907, 62 p. 5 Domaszewskium ex illa inscriptione multa, quae non in ea leguntur, derivasse monet. [5]) Rhein. Mus. N. F. 58.4, p. 627 sqq. Cf. etiam Lécrivain l.l. p. 227 adn.

concursasse, quin etiam primo anno (226) Persas per duodecim menses ibi mansisse, et omnia haec eventa iniquum Romanis exitum habuisse effecit. Quatenus hoc testimonium verum sit, ignoramus. Minoris utique momenti, quam vult Eliae Apocalypsis, concursationes illae fuerunt: praesidii praecipue causa, ad vim haud dubie Romanam ostendendam copiae in illis finibus aderant.

Utcumque res se habet, Romanos iamdudum omnia, quae in Oriente accidebant, quamquam parvi ea aestimantes, cognita habuisse apparet, neque ex improviso, quae verba sunt Herodiani,[1]) nuntii Romam allati sunt.

Artaxerxes enim tunc in Mesopotamiam et Syriam bellum intulerat omniaque sibi usque ad mare Aegaeum, quae antiquitus gens sua, quam a Cyro Darioque deducebat, possedisset, se vindicaturum minitabatur,[2]) anno, ut veri est simile, 228.[3])

Hac autem de re Syriae Mesopotamiaeque praefecti Romam nuntiaverunt. Deinde, cum Artaxerxes Cappadociam ingressurus Nisibim obsideret,[4]) Alexander et Iulia Mamaea agendum sibi esse intellexerunt bellique consilium ceperunt anno 230.[5])

Prius tamen regem Persarum legatione missa ab institutis abducere conatus esse videtur, quod parum

[1]) Herod. VI 2,1. [2]) Dio Cass. LXXX 4,1. Herod. VI 2,1–2. Zonar. XII 15 p. 572. [3]) Quia in fine operis sui Dio Cass. ea narrat, Herodiani VI 2,1 indicium, anno Alexandri quarto decimo ea accidisse dicentis, falsum igitur est, nec prodest Daendlikeri l.l. p. 215 coniectura, qui 14 in 4 mutari vult. Thiele l.l. p. 2 adn. 3 monet, Callegarium l.l. p. 96 iniuria statuisse, Herodianum intellegi voluisse tempus intercedens inter annos 218, quo Macrinus pecunia soluta pacem cum Persis firmaverat, et 231. [4]) Zonar. XII 15 p. 573 B. Georg. Sync. p. 674 sq. [5]) Herod. VI 3,1. Cohen IV. Mam. 15. Alex. 552. Cf. Thiele l.l. p. 94 adn. 4. Groebe l.l. p. 2535. Noeldeke l.l. p. 89.

ei successit.[1]) Molesta haud dubie imperatori haec expeditio erat; Herodianus[2]) tamen iniustam de eo opinionem profert, dicens nuntios illos eum turbasse, quippe qui a pueritia in pace ac luxurie vixisset; attamen ex contrario Alexandri pueritia turbarum plena fuit et a luxurie mater semper eum continuit.

Studiosissime bellum in Italia paratum magnusque exercitus convocatus est.[3]) Sed, ut iam vidimus, militum animi adversi erant, ut perpetuo, ne deficerent et transfugerent, periculum esset.[4])

Anno autem 231[5]) Alexander comitante matre exercitu in campo Martio, deinde senatu adlocuto,[6]) nummis large inter milites, quos omnibus rebus instruxerat, divisis,[7]) ut benevolentiam eorum captaret, profectus est. Totus eos senatus populusque prosecutus est; lacrimas vero, quas et imperatorem et populum fudisse Herodianus narrat, fictas ab eo esse persuasum mihi est.[8])

Per Illyriam, unde novas copias in orientem duceret,[9]) et ubi Dyrrhachii morati sunt,[10]) deinde per

[1]) Herod. VI 2,3—5. [2]) Herod. VI 2,3. 3,1. [3]) Herod. VI 3,1—2. V. Al. Sev. 55,1. Aur. Vict. Caes. XXIV 2. C. I. L. X 3856. Cf. Domaszewski Mus. Rhen. 58, 1903, p. 314. Thiele l.l. p. 94 sqq. [4]) Dio Cass. LXXX 4,1. [5]) Herod. VI 4,2. Cohen IV. Alex. 486—494. Al. et Mam. 18. Mionnet 2686= Dattari 4255 (cf. 4419). Dattari 4366. 4420 = B. M. Alexandria 1705. Mionnet VI 2687 sq. Riv. It. di Num. 5 p. 164. 457n.6. C. I. L. VI 2108. Act. Arv. (Henzen) p. CCXVII 4,117. Cf. Schiller l.l. p. 780. Groebe l.l. p. 2535. Hopkins l.l. p. 235. Thiele l.l. p. 95. Praeterea Euseb. H. E. V 16 argumento est: per 13 annos magni belli expers floruisse ibi narratur Romanus orbis; cum autem anno 218 extincto Macrino bellum finem habuerit, anno igitur 231 renovatum est. Cf. Basnage Ann. Pol.-eccl. II p. 282. Goerres l.l. p. 62 sq. [6]) Herod. VI 3,2. 4,1. Oratio vero, quam VI 3,3—7 refert, genuina non est. Cf. Daendliker l.l. p. 213. [7]) Herod. VI 4,1. V. Al. Sev. 50,3. [8]) Herod. VI 4,2. Cf. Daendliker l.l. p. 206 et 216. [9]) Herod. VI 4,3. Cf. Thiele l.l. p. 95. [10]) C. I. L. III 709. Cf. Thiele l.l.

Macedoniam mater ac filius in mare Thracicum, navi per illud mare ad Troadis oram, deinde Adramyteum, Thyatiram, Ephesum, Magnesiam, per Pisidiam Tarsum,[1]) postremo Antiochiam se contulerunt, ubi tempore hiemali igitur, quod inter annos 231 et 232 intercessit, expeditio parata est.[2])

Hic rursus princeps legatione bellum praevertere conatus est,[3]) qua vero infecta re remissa Herodianus[4]) narrat Artaxerxem ipsum quadringentos Persas, statura insignes ac magnificentissimis indutos vestibus elegisse, qui mandatu regis imperatorem iuberent omnibus possessionibus decedere, quae olim ad imperium Persicum pertinuissent, Alexandrum vero eos vestibus privatos in Phrygiam misisse, ut ibi agros colerent neve in patriam redire possent. Sed cum Alexander, si revera legati illi fuissent, hoc facto ius gentium violasset, adducor, ut Grootio[5]) concedam, parum accurate haec Herodianum cognovisse et splendidam huiusmodi legationem alio spectare quam ad verba regis deferenda.

Hoc tempore copias defecisse legimus, tam quae ex Aegypto venerant quam quae in Syria erant,[6]) h. e. seditio orta est illa Uranii Antonini[7]). Lampridii[8]) quoque, milites Antiochiae turbulentos fuisse narrantis, testimonium huc spectat, cuius singulae res tamen fide indignae sunt.[9]) Mox vero illae seditiones compressae et vindicatae sunt.[10])

Ubi primum per anni tempus potuit, vere igitur

---

[1]) De hoc itinere cf. Thiele l.l. p. 96 sq., qui nummos titulosque affert. [2]) Herod. l.l. [3]) Herod. VI 4,4. Zonar. XII 15 p. 573. [4]) Herod. VI 4,4-6, quem sequitur Zonar. l.l. [5]) de Groot de Sev. Alex. p. 32. [6]) Herod. VI 4,7. [7]) Vide p. 69 sq. [8]) V. Al. Sev. 53 sq. [9]) Vide quoque p. 70. [10]) Herod l.l.

anni 232,[1]) Alexander iter coeptum perrexit; Iulia Mamaea vero Antiochiae remansit, ubi imperatore absente Origenes eam visit, de qua re infra fusius loquemur.

Exercitus autem Romanorum, hostium copiis numero fere par, tripartitus profectus est.[2]) Cum media acie, exercitus robore, ipse Alexander[3]) Apameam,[4]) deinde Palmyram[5]) se contulit; recte Thiele[6]) Mommsenium,[7]) hac in urbe eum mansisse putantem, Herodiani[8]) testimoniis redargui monet. In Mesopotamia hostem aggredi volebat[9]). Laeva acies in Armeniam iter fecit, ut in Mediam irrumperet; dextra vero ad Euphratis Tigridisque ostia missa est.[10]) Propositum igitur erat, ut media acies hostium frontem, cornua vero eius latera aggrederentur; et locus, ubi convenirent, constitutus erat,[11]) quod Persidis caput Ctesiphon fuisse videtur.[12]).

Laeva autem acies in Media superior fuit;[13]) deinde Artaxerxes alterum exercitum appropinquare cognoscens milites suos abduxit, ut dextram impugnaret,[14]) quae imprudentius, cum nemo ei impedimento esset, iter faciebat.[15])

A belli autem ratione proposita recedens, cum me-

---

[1]) Iniuria igitur Krauss l.l. p. 627 et Noeldeke l.l. p. 89 anno 233 proelium commissum esse putant. Hieronym. Chron. annus 223, quem Cassiodorius, Orosius VII 18,7, Aur. Vict. Caes. XXIV 2 secuti sunt, errore nititur. Cf. Clinton Fasti Rom. I adnna. 223. [2]) Herod. VI 5,1. Zonar. XII 15 p. 573. [3]) Herod V 5,2. [4]) Cf. Thiele l.l. p. 99 sq. [5]) C. I. G. III 4483. Cf. Thiele l.l. p. 100. [6]) Thiele l.l. [7]) Mommsen Röm. Gesch. V 420 adn. 1. [8]) Herod. VI 5,7, et praecipue VI 6,4: per Mesopotamiam Alexander rediit. [9]) Herod, VI 5,2. [10]) Herod. l.l. [11]) Herod VI 5,8. [12]) Cf. Groebe l.l. p. 2536. Quamquam geographiea Herodfani indicia fortasse, ut solent, accurata non sunt neque etinera tam longinqua sibi proposuit Alexander, tamen hanc belli rationem universam parum credibilem esse aestimat Schiller l.l. p. 78, adn. 1. [13]) Herod VI 5,5-6. [14]) Herod 5,6-7. [15]) Herod. VI 5,7.

dia acie ad locum constitutum imperator non adfuerat;[1]) causae, quas huius rei Herodianus[2]) affert, mortis timorem imperatorem retinuisse vel matrem nimia caritate eum impedientem, nimirum falsae sunt. Vera causa nos latet neque tamen cum Schillerio[3]) dubitare licet, num revera haec ita facta sint; multae enim causae extitisse possunt.

Deinde Herodianus[4]) internecivam Persas aciei dextrae cladem intulisse et ad unum omnes confecisse narrat. Cum vero alio loco,[5]) ex altero suo fonte hauriens, tradat, Artaxerxem nullam postea pugnam commisisse, etsi Alexandri exercitus etiam frigore ac morbo, ut mox videbimus, afflictus esset, quia, quamquam superior fuisse videretur (quo verbo igitur anceps fuisse proelium indicat), multos tamen amisisset tam in Media quam in pugna contra dextram aciem facta, cum fortiter Romani pugnassent, ut utriusque partis damna aequa essent et Persas numero tantum superasse manifestum esset; cum praeterea omnes fontes Graeci Latinique,[6]) qui ex Herodiano non pendent, de Persarum clade loquantur, num cladem Romani acceperint internecivam, dubitatio mihi movetur quam maxima.[7]) Revera Persae maiore numero parvam dubiamque victoriam ex dextra acie, cui Maximinus fortasse praeerat,[8]) reportasse videntur multis tamen amissis, ut aequis viribus inferiores se futuros fuisse intellexerint.

Quo nuntio allato Alexandrum, qui caeli tempera-

[1]) Herod. VI 5,8. [2]) Herod. VI 5,8-9. De hoc loco vide p. 2. [3]) Schiller l.l. [4]) Herod. VI 5,9-10. [5]) Herod. VI 6,5-6. Zonar. XII 15 p. 573. [6]) Vide infra. [7]) Cf. Schiller l.l. p. 781 adn. 1. Noeldeke l.l. p. 89, qui iniuste tamen de Herodiano iudicat. Groebe l.l. p. 2537, qui recte scribit Mommsenium Röm. Gesch. V p. 421 iusto diligentius Herodianum sequi quod Domaszewski l.l. et Krauss l.l. item faciunt. [8]) Quod colligo ex Zonar. XII 16 p. 575: *στρατηγὸς ὑπ' ἐκείνου προχειρισθεὶς καὶ κατὰ Περσῶν ἐκστρατεύσας καὶ αἴσχιστα ἡττηθεὶς ὀργῆς ἐπειράθη βασιλικῆς.*

tione insolita in gravem morbum inciderat,[1]) doluisse facile intellegitur, nam belli ratio ei non successerat; neque vero tam demissus fuisse potest quam Herodianus[2]) narrat, quamquam fortasse milites recentia eventa in malam partem accepisse verum est.

Cum non ipse solus, sed totus exercitus aegrotaret, Antiochiam reverti decrevit et copias quoque, quae in Media erant, redire iussit.[3]) Quae vero in itinere maximam partem frigore in montibus perierunt, incepta iam hieme, quae inter annos 232 et 233 intercessit, ut exercitus, qui ante nonnullos menses tripartitus profectus erat, non nisi parvae reliquiae Antiochiam reverterint.[4])

Rediens Alexander Nisibi Rhesaenae Edessae Antiochiae moratus est.[5]) Schiller[6]) mediam quoque aciem cum Persis pugnasse putat, quod Groebio[7]) quoque non improbabile videtur; at miramur, quod Herodianus de ea pugna nil cognitum habet; et, quandoquidem illud proelium necessario Romanorum victoria fuisset, intellegi non posset Artaxerxem sibi victoriam addixisse, quod haud dubie[8]) fecit, quamquam in rebus minus secundis non iam superiorem esse se posse probe novit,[9]) quod testatus est, cum exercitum suum dimiserit, postquam comperit, Alexandrum, a morbo refectum, nummis militum animos erigere conantem novas copias contrahere.[10])

Romani quoque victores se appellaverunt.[11]) Quod

[1]) Herod. VI 6,1. Zonar. XII 15. p. 573. [2]) Herod. l.l. Zonar. l.l. [3]) Herod. VI 6,2-3 V. Al. Sev. 55,2. [4]) Herod. VI 6,3. Zonar. l.l. [5]) Cf. Thiele l.l. p. 101. [6]) Schiller l.l. p. 781. [7]) Groebe l.l. p. 2537. [8]) Nummos enim aureos fecit. Cf. Duruy Hist. des Rom. VI p. 255 adn. 1. [9]) Herod. VI 6,5. [10]) Herod. VI 6,4. [11]) V. Al. Sev. 55,2 (et 56 sq.) Aur. Vict. Caes. XXIV 2. Eutrop. VIII 23. Oros. VII 18, 7. Georg. Sync. p. 675. Hieronym. Chron. ad annum 223. Cassiod. p. 641. Ruf. Fest. 22 (qui omnes tamen Romanis debito pulchriores partes attribuunt). Eckhel VII 273. 277. Cohen IV 445. Fortasse C. I. G. 4705. Cf. Hopkins l.l. p. 231 sq.

et Artaxerxem et Alexandrum fecisse mirum non est: Artaxerxes enim, etsi in Media inferior fuit, deinde quamquam dubiam, victoriam tamen reportavit; nomine igitur victor erat; Romani vero quod voluerunt assecuti sunt, Persas enim a finibus suis reppulerunt.[1])

Lampridius iniuria tradidit nonnullos dixisse a servo suo proditum Alexandrum non vicisse, sed, ne vinceretur, fugisse;[2]) quae sine dubio minus recta narratio est ad Uranium Antoninum pertinens, ex confusione orta testimoniorum Herodiani Dexippique.[3])

Ex Eliae Apocalypsi,[4]) quae ceteroquin bellum gestum esse tantum commemorat, quanta Iuliae Mamaeae his quoque temporibus fuerit auctoritas, apparet; mater praecipue imperatoris ludibrio habetur, quam cum devoveat Elias, maxime eam timuisse videtur. Iniuria vero Krauss[5]) ex hoc loco Mamaeam filio suo nocuisse ignavumque eum reddidisse colligit: immo quia ad bellum eum incitavit, auctori illi, quippe qui cum Romanorum steterit hostibus, invisa fuit.

Artaxerxem autem ab armis recessisse percontatus, Severus Alexander per aliquantum adhuc temporis cum matre Antiochiae remansit;[6]) non tamen eum se in huius urbis luxuriam effudisse[7]) credibile est. Praeda suum ditavit exercitum;[8]) captivos vero acceptis pretiis reddidit.[9])

Pacis conditiones convenisse nusquam legimus; ea vero, quae antea Romana erant, Romana man-

[1]) Cf. Noeldeke l.l. p. 89. Groebe l.l. p. 2537. [2]) V. Al. Sev. 57,2. [3]) Dexippus enim servi Uranii seditionem (cf. Zosim. I 12), Herod. Alexandri cladem rettulit. Cf. Lécrivain l.l. p. 227. Vide p. 68 sqq. [4]) cf. Krauss l.l. p. 629. [5]) Krauss l.l. Nimiam fidem Herodiano habet. [6]) Herod. VI 6,6 et 7,1. [7]) Herod. VI 6,6. [8]) V. Al. Sev. 55,2. [9]) V. Al. Sev. 55,3.

serunt;[1]) Mesopotamiae possessio hac expeditione firmata esse videtur.[2])

Deinde Alexander materque eius per Macedoniam[3]) anno 233 Romam redierunt,[4]) ubi triumpho pulcherrimo acto[5]) a. d. VII kal. Oct. apud senatum de victoria sua imperator orationem habuit,[6]) postquam in Capitolio rem divinam fecit.[7]) Alio die circensibus ac scaenicis ludis actis[8]) deinceps congiarium populo Romano dedit;[9]) et Mammaeanae Mammaeanique instituti sunt.[10])

[1]) Cf. Groebe l.l. p. 2537. [2]) V. Al. Sev. 56,6. Cf. Thiele l.l. p. 102. [3]) Cf. nummos apud Thiele l.l. p. 102. [4]) V. Al. Sev. 56,1 (de Herod. VI 7,3 vide infra in cap. X). Cohen IV 446. 555—573. Mam. 30. Froehner p. 173. C. I. L. VIII 14447. 15846. 14816. 15259. III 3427. 950. 5944. Le Bas III 2480. Cf. Groebe l.l. p. 2537. Thiele l.l. p. 102. [5]) V. Al. Sev. 56,1. Elephantis currum triumphalem iunctum fuisse (V. Al. Sev. 57,4) veri non est simile. Cf. Eckhel VII 276. Duruy l.l. p. 255 adn. 1. Thiele l.l. p. 102 adn. 6, adversus Marquardt R. St. V. p. 582 sqq. [6]) V. Al. Sev. 56, 1—2. Oratio V. Al. Sev. 56, 2—9 genuina non est, nonnulla tamen utilia exhibet (cf. Lécrivain l.l. p. 78), quod Thiele l.l. p. 55 sq. iniuria negat. Quamquam multa in maius aucta vel falsa sunt, non tamen finxit Lampridius hanc orationem sed fonte suo usus est. Quod ad senatus acclamationes V. Al. Sev. 56,9—10 attinet, quas Lécrivain l.l. p. 78 spurias vocat, Thiele l.l. p. 50 et 54 (cf. etiam Peter die S. H. A. p. 224) recte mihi existimare videtur, nonnulla in iis verba genuina, non tamen tunc dicta, inesse. [7]) V. Al. Sev. 57,1, qui errore post senatum habitum hoc factum esse dicit. Cf. Thiele l.l. p. 132 adn. 5. [8]) V. Al. Sev. 57,6. Eckhel VII 27. Cohen IV 182. Cf. Schiller l.l. p. 781. [9]) V. Al. Sev. 57,6. Quinta (vide p. 48) haec est liberalitas. Cf. Thiele l.l. p. 102 sq. Oratio, qua populo haec pollicitum eum esse narrat Lampr. V. Al. Sev. 57,1, genuina non est. Cf. Thiele l.l. p. 79. [10]) Vide p. 48.

X.

Non diu vero princeps materque eius pace et otio frui potuerunt. Mox enim nuntii allati sunt, Germanos Rhenum Danubiumque traiecisse et Romanorum fines vastationibus diripere,[1]) gentesque Illyricas, Italiae finitimas, in periculo versari, atque ipsius imperatoris omniumque copiarum auxilio opus esse.[2]) Ex nummis[3]) quoque his temporibus Germanos multis castellis Romanis potitos esse apparet.

Romae autem maius hoc esse periculum, quam Artaxerxis fuerant hostilia, quia propius ab Italia erat, intellectum est. Ergo ut princeps proficisceretur decretum est.[4]) Rursus copias arcessivit Alexander;[5]) ex Oriente quae revocatae sunt, non Romam venisse sed statim in loca periclitantia iisse veri est simile,[6]) et haec fortasse causa est falsae illius Herodiani narrationis, quae Alexandrum continuo post bellum Persicum contra Germanos profectum neque prius Romam revertisse tradit,[7]) quod omnino incredibile est: multa enim reditus testimonia extare vidimus, aliquantumque temporis inter duas illas expe-

[1]) Herod. VI 7,2. V. Al. Sev. 59,2. Aur. Vict. Caes. XXIV 2. [2]) Herod. VI 7,2—3. [3]) Cf. Thiele l.l. p. 106 sq. [4]) Herod. VI 7,4—5. Sed perpetuo VI 7, 3—5 Herod. ex fonte Alexandro adverso pendet, quam ob causam in eius animi affectionibus describendis iniquus est. [5]) De copiis contractis cf. Herod. VI 7,8. Zonar. XII 15 p. 573. Cf. Thiele l.l. p. 105 sq. [6]) Cf. Groebe l.l. p. 2539. [7]) Herod. VI 7,2. Zonar. XII 15 p. 573, quos minus recte sequitur Mommsen Röm. Gesch. V. p. 148.

ditiones intercessisse constat:[1]) Alexander enim comitante Iulia Mamaea anno demum 234[2]) iter suscepit.[3])

Ipse ad Rhenum profectus est,[4]) Maximinum vero cum exercitus parte in Paeoniam misit[5]) contra eos Germanos, qui Illyriae imminebant. Viros doctos, Herodiani[6]) testimonio nisos, Maximinum cum Alexandro ad Rhenum iisse putare scio. At primum quaestio[7]) oritur, quo tandem modo Illyria, quae in maximo versaretur periculo, defensa sit; deinde Dexippi[8]) testimonium his temporibus Maximinum in Paeonia copiis praefuisse narrantis omnino neglegitur. Mea quidem sententia parum, quod ad postrema Alexandri vitae eventa attinet, Dexippi narrationis, quam abbreviatam ac male excerptam in Zosimi[9]) libro legimus et cuius nonnulla quoque in Historia Augusta[10]) nobis indicia supersunt, ratio habita est;[11]) quamquam Dexippus multa fide dignissima narrare solet[12]) et, ut videbimus, multo veri similius quam Herodiani eius est testimonium, quippe qui, quomodo Illyria defensa sit, indicet et tam de ratione, qua Maximinus imperator salutatus sit et deinde se gesserit, quam de militum, quae caedis causa fuerit, ira credibilem praebeat narrationem. Cum praeterea, nonnullis Herodiani verbis exceptis, ceteri fontes ei

[1]) Cf. Groebe l.l. p. 2538. [2]) Eckhel VII 277: „Profectio Augusti" (anni 234). Cohen IV 452 et Coh. IV 423 et 425 (item anni 234), in quibus princeps una cum matre repraesentatur. Iniuria igitur Groebe l.l. p. 2538 ex eo, quod anno demum 235 ad Rhenum eum invenimus (Cohen IV Mam. 16), anno demum 235 Roma eum profectum esse concludit. Cf. Schiller l.l. p. 782. Lécrivain l.l. p. 228. Thiele l.l. p. 105. [3]) Herod. VI 7,5. V. Al. Sev. 59,1. [4]) Vide infra. [5]) Zosim. I 13. [6]) Herod. VI 8,1 et 8. [7]) Quam Hopkins l.l. p. 238 adn. 2 ponit, nec tamen ei respondere potest. [8]) Zosimus l.l. [9]) Zosimus l.l. [10]) V. Al. Sev. 63,5. V. Max. 7,5. [11]) Unus Lécrivain accuratius de Dexippi testimoniis agit nec tamen se iis fidem habere dicit. [12]) Vide supra in cap. I.

non obloquantur, immo nonnulla, quae inexplicabilia videbantur, plana iam fiant, inter quae primum locum obtinet, quod multi,[1] qui tumultum militarem et Alexandri mortem referunt, his locis de Maximino mentionem non faciunt, proxime ad veritatem accedere mihi videor Dexippi testimonium, quatenus cognitum nobis est, narrationis meae fundamentum faciens. Accedit, quod accuratius cognoscenti unus ex Herodiani fontibus eadem fere atque Dexippus dixisse, sed Herodianus haec cum peiore sua descriptione confudisse videtur, e.g. ubi[2]) copias, quibus Maximinus praefuit, maximam partem Paeones fuisse testatur; multisque locis Herodiani narrationem Zosimi indiciis supplere possumus.

Ergo prudens Severus Alexander ducem militibus acceptum eo misit, ubi maximum instabat periculum; ipse cum matre magnis itineribus[3]) ad Rhenum se contulit, quod flumen anno 235 ratibus iunctum transmisit,[4]) et in castello Feldberg prope a Francofurto mater ac filius morati sunt,[5]) deinde in castello Saalburg.[6])

Hoc fortasse ex loco cum Germanis Alexander egit et pecunia, quam valde amabant, ad pacem eos inducere conatus est, quod aegerrime milites tulerunt;[7]) paulisper tamen id, quod sibi proposuerat, assecuturus esse videbatur.[8])

---

[1]) V. Al. Sev. 59. Aur. Vict. Caes. XXIV. Eutrop. VIII 23. Oros. VII 18,8. Georg. Sync. p. 674. Hieronym. Chron. ad annum 235. Cassiod. Chron. p. 642. Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 147). [2]) Herod. VI 8,3. [3]) Herod. VI 7,5. V. Al. Sev. 59,4. [4]) Cohen IV p. 483 (Mam. n 16). Herod. VI 7,5 et 6. [5]) Cf. nummi titulique apud Thiele l.l. p. 107 sq. [6]) Cf. Thiele l.l. p. 108. [7]) Herod. VI 7,9. Zonar. XII 15 p. 573. Hic eum luxu et aurigando tempus degisse (Herod. VI 7,10) videlicet verum non est. [8]) C. I. L. XIII 7793 (Remagen): [I]ovi [O]ptimo M[aximo Iun]oni sanctae V[ictoriae] dis ae deabus om[nibus] optans salutem p[ro reditu Sev]er(i) A[lexand]r[i] Aug[usti nostri] e[t I]uliae M[ameae Augustae] Flavius Sollem[nis praef]. Cf. Thiele l.l. p. 108.

Tunc vero ea acciderunt, quae eum, quominus hanc rem ad finem perduceret, impediverunt, quorum omen narrat Lampridius vatem ei Germanam succlamasse: „Vadas nec victoriam speres nec te militi tuo credas".[1])

Copiae, quibus Maximinus praeerat, mea igitur opinione illae, quae in Paeonia et Moesia erant, iamdudum Alexandro iniquae, postquam, ut probabile est, ducem suum hostes facile ex Illyria reppulisse[2]) viderunt, qua re magis etiam principem multo minus bellicosum despiciebant, Maximinum, ut iam antea Uranio ceterisque contigerat, imperatorem salutaverunt,[3]) quod ille sive vi coactus sive, cum ipse iussisset, specie tantum invitus accepit.[4]) Ipsum eum hanc movisse seditionem fortasse veri est similius, cum Zonaras[5]) eum Alexandro succensuisse narret, quod clade in bello Persico accepta ab eo reprehensus esset. Quod novum hunc a militibus nuncupatum imperatorem non ut ceteros superare potuit Alexander, vitio temporum iniquorum ac, cui ipse princeps praeerat, exercitus contumacia factum est.

Herodianus[6]) deinde narrat, Maximinum, qui non longe ab Alexandro versaretur, milites arma capere eumque ignarum adhuc ex improviso necare iussisse,

---

[1]) V. Al. Sev. 60,6. Cetera, quae V. Al. Sev. 60,3-6 memorat mortis omina, mihi fide indigna videntur. De voce „mulier Dryas" cf. Toutain Mélanges Boissier p. 440, qui non „druide" ea voce significari demonstrat. [2]) Herod. VI 8,4. [3]) Herod. VI 8,5 (cuius loci singula fide indigna sunt. Cf. Daendliker l.l. p. 232 sq.). Zonar. XII 15 p. 574. V. Max. 7,5. Zosim. I 13. Epit. de Caes. XXIV 3. [4]) Herod. l.l. Zonar. l.l. (qui utramque causam recusandi referunt, alteram tamen probabiliorem aestimasse videntur). Epit. de Caes. l.l., qui Maximinum copias corrupisse dicit. [5]) Zonar. XII 16 p. 575. Vide p. 78. [6]) Herod. VI 8,7—8, quem sequuntur Zonar. XII 15 p. 574 et fortasse Amm. Marcell. XXVI 6,20; impugnant vero V. Al. Sev. 59,7—8 (Cf. Lécrivain l.l. p. 229) et V. Max. 7,4 (cf. Lécrivain l.l. p. 271).

ipsumque eos variis praemiis datis in Alexandri castra duxisse. Iam multo antea hanc Herodiani narrationem veri non similem esse Maximinumque sibi ipsi nociturum fuisse, si palam caedis principis auctorem se esse professus esset, nonnulli[1]) monuerunt. Multo ergo melius est Dexippum[2]) sequi et credere in Italiam eum profectum esse. Licet Maximinus Alexandri interitum optaret, tamen alii facinus perpetrandum reliquit, quippe qui satis alterius exercitus animos cognitos haberet; ipsius vero fama ab illa macula servanda erat, si princeps fieri vellet.

Hae res auditae Alexandrum spe et exspectatione vehementer deiecerunt, quoniam Maximino maximam fidem habuisse videatur.[3]) Quae sequuntur apud Herodianum, omni probabilitate carent;[4]) narrat enim, primum milites se eum adiuturos esse promisisse,[5]) deinde vero, cum Maximinus cum suis in conspectu esset, defecisse, ipsum principem Iuliamque Mamaeam accusantes[6]) (avaritiae tamen crimen revera in eam contulerunt[7])), et ab iis quoque Maximinum imperatorem salutatum[8]) atque tunc percussores Alexandrum aggressos esse.[9]) At hoc potius modo, ut ex ceteris fontibus eruere possumus, res gesta est. Maximinum Romam profectum esse cognoscens Alexander matre hortante et ipse in urbem festinare decrevit.[10]) Milites vero principem in Orientem Iulia Mamaea instigante, quae ante omnia patriam suam

---

[1]) Tillemont l.l. p. 628. Porrath l.l. p. 58. Daendliker l.l. p. 226 sq. Sed Groebe l.l. p. 2539 et Hopkins l.l. p. 242 minus recte Herod. sequuntur. [2]) Zosim. I 13. [3]) Herod. VI 9,1—2, ubi tamen nimis ignavus et puerilis Alexander repraesentatur. [4]) Cf. Daendliker l.l. p. 226 sq. [5]) Herod. VI 9,2. Zonar. XII 15 p. 574. [6]) Herod. VI 9,3—5, quem sequuntur Zonar. l.l. V. Al. Sev. 59,8. Cf. Lécrivain l.l. p. 229. [7]) Vide p. 57 sq. [8]) Herod. VI 9,5, quem sequitur V. Max. 7,4. [9]) De hac re vide infra. [10]) Zosim. I 13.

defendere cuperet,[1]) tendere opinati sunt. Hic error eos iamdudum imperatoris matri infensos et propter parsimoniam et quod semper filio persuaderet, ut id, quod nollent, faceret,[2]) vehementissime irritavit.[3])

Deinde una legio, quin principem sequeretur, recusasse videtur: hoc certe modo optime explicatur, quam ob causam Severus Alexander legionem exauctoraverit.[4])

Hanc vero severitatem totius eius exercitus tumultus excepit.[5]) Omnibus, Maximino quoque, si incepta omisisset, veniam pollicendo,[6]) qua venia haud dubie legionis dimissionem rescidit, princeps se servare conatus est. Sed frustra id sectatus est.[7])

Cum enim post prandium Alexandro in tentorio suo quiescente hora diei fere sexta unus ex militibus ingressus dormientibus cunctis, solo tamen imperatore intervigilante, visus esset et rogatus, quid vellet, de vita sua desperans, quippe qui quam ob causam in tentorium principis irruisset dicere non posset, ad contubernales suos properasset, ut Alexandrum interficerent ille adhortatus est.[8]) Tunc militum caterva, qui, dum quis palam hoc proponere auderet, opperti modo esse videntur, praetorium ingressa est,[9]) ubi perditum se esse intelligens non iam se

---

[1]) V. Al. Sev. 63,5. V. Max. 7,5; utrumque testimonium Capitolinus haud dubie ex Dexippo hausit. (cf. Lécrivain l.l. p. 230 et 271), quem tamen neglegenter legit, nam revera in Orientem ire voluisse imperatorem Dexippum non narrasse, sed milites id opinatos esse dixisse ex Zosimo apparet. [2]) Herod. VI 8,3. 9,4. [3]) V. Al. Sev. 63,5. V. Max. 7,5. [4]) V. Al. Sev. 59,4. V. Max. 9,6. Aur. Vict. Caes. XXIV 3. Eutrop. VIII 23. Revera hoc accidisse, quod Thiele l.l. p. 7 negat, Lecrivanio l.l. p. 228 concedo. [5]) V. Al. Sev. 59,5. Aur. Vict. Caes. XXIV 3—4. Eutrop. VIII 23. Oros. VII 18,8. Georg. Sync. p. 674 sq. Hieronym. Chron. et Cassiod. Chron. ad ann. 235. [6]) Zosimus l.l. [7]) Zosimus l.l. [8]) V. Al. Sev. 61,2 sqq. [9]) V. Al. Sev. 59,6, quo loco tamen non totum exercitum caedis conscium fuisse legimus.

defendere conatus est Alexander, sed obvoluto capite[1]) occidi se passus est.[2])

Legatis convocatis Iulia Mamaea turbas sedare conata est;[3]) sed et ipsa[4]) et legati[5]) a militibus furentibus necati sunt.

Herodianus[6]) vero principem, matrem complexum et accusantem, quod propter eam interficeretur, a tribunis, quos Maximinus, etiam ab altero iam exercitu imperator salutatus, misisset, occisum esse narrat; sed multo veri similior est narratio, quam ex ceteris fontibus collegimus. Statim post caedem exercitus, quem ad Rhenum Alexander duxerat, Maximinum imperatorem renunciavit.[7])

Iulia Mamaea autem filiusque eius trucidati sunt in Germania in vico, cui Sicilia nomen est, prope a Mogontiaco[8]) Id. Mart. anni 235.[9])

[1]) Herod. VI 9,6. Epit. de Caes. XXIV 4. Zosim. l.l. [2]) V. Al. Sev. 59,6. 61,6. V. Max. 7,4 (locus corruptus. Cf. Lécrivain l.l. p. 271). Epit. de Caes. XXIV 4. Aur. Vict. Caes. XXIV 4. Zosim. l.l. Eutrop. VII 23. Oros. VII 18,8. Georg. Sync. p. 674 sq. Chronogr. anni 354 (Chron. Min. ed. Mommsen I p. 147) Hieronym. et Cassiod. Chron. ad annum 235. [3]) Zosimus l.l. [4]) Zosimus l.l. Georg. Sync. l.l. [5]) Zosim. l.l. — Herod. VI 9,7 et Zonaras XII 15 p. 574 Alexandri amicos interiisse dicunt. [6]) Herod. VI 9,5—7, quem sequuntur V. Max. 7,4. Zonar. l.l. Amm. Marcell. XXVI 6,20. Epit. de Caes. XXIV 4. [7]) V. Max. 8,1. Georg. Sync. l.l. Cf. Porrath l.l. p. 58. [8]) Eusebii indicium (Euseb. Armen. ad ann. Abrah. 2252. Hieronym. Chron. ad ann. 235. Cassiod. Chron. p. 642. Chronogr. anni 354 l.l. Oros. VII 18,8. Georg. Sync. p. 675), qui Mogontiaci diem supremum Alexandrum obiisse scribit, bonum sed minus accuratum est. Cf. Lécrivain l.l. p. 229 et 428. Schiller l.l. p. 783 adn. 3. Hopkins l.l. p. 240. Thiele l.l. p. 108 adn. 6. — V. Max. 7,4. V. Al. Sev. 59,6. Eutrop. VIII 23 „Gallia" pro „Germania" scriptum est. Iniuria nonnulli (V. Al. Sev. l.l. Aur. Vict. Caes. XXIV 4) vicum illum in Britannia situm fuisse tradiderunt. [9]) Elagabalus mortuus est prid. Non. Mart. anni 222 (vide p. 36) Deinde Sev. Alex. regnavit annos 13 dies 9 (V. Al. Sev. 60,1. Lib. Gener. Chron. Min. ed. Mommsen I p 138 et Eutrop. VIII 23). — Herod. VI 9, 8, qui de-

Omnes milites principis mortem gravissime tulisse atque caedis auctores trucidasse contendit Lampri-

cimo quarto imperii sui anno interfectum esse Alexandrum dicit, cum illis testimoniis non dissentit, neque Epit. de Caes. XXIV 1 et 4, quae Alex. per annos 26 vixisse, per annos 13 regnasse narrat, ergo minus accurate dierum numerum omittens, quod item fecerunt Aur. Vict. Caes. XXIV 7. Euseb. H. E. VI 28. Oros. VII 18,6. Hieronym. Chron. ad ann. 222. Cassiod. p. 641.— Zonar. XII 16 p. 575 vero numerus: „10 annos" falsus est. Chronogr. anni 354 l.l. indicium „annos 13 menses 8 dies 9" ex dittographia ortum esse videtur. Vide infra. Hic numerus, ad Non. Mart. anni 222 computatus, Id. Mart. anni 235 Alex. obiisse testatur. Cum Maximinus a.d. VIII Kal. April. senatus consulto tribuniciam potestatem patrisque patriae nomen acceperit et inter sodales Anton. cooptatus sit (C. I. L. VI 2001. 2009), probabile 10 dierum intervallum intercedit, in quo nuntius Romam allatus esse potest, cum iis, qui Alex. a.d. V. Id. Mart. imperium iniisse (vide p. 36 adn. 1), a.d. XIV vel XV Kal. Apr. mortuum esse putaverunt, brevius intervallum supersit, quam quo nuntius ad Romanos pervenisse possit. Iam Wirth l.l. p. 43 hoc vidit et Thiele l.l. p. 65, qui Friedländerum R. S. II 23 testem produxit, commemorantem anno 69 cursores illud iter diebus fere 9 confecisse idque tempus pro usitato spatio breve fuisse. Hoc igitur tertium est testimonium (vide p. 22 et 36), quod Thielii ratiocinationem optimam esse ostendit. Rubensohn l.l. p. 348 sqq. sibi documento esse putavit indicium Chronogr. anni 354 l.l., quem ab adoptionis die, quem a. d. VI Id. Iul. fuisse eo tempore existimabant, computasse sibi persuasum habet; at hoc argumentum iam repudiandum est, cum non illo die adoptatum esse Alexandrum constet (vide p. 28). Veri igitur similior est Thielii coniectura, Chronogr. numerum dittographia extitisse dicentis, cum Elagabalum quoque menses 8 regnasse ibi legatur. In Le Bas III 2114, quem titulum itidem ab adoptionis die computasse Rubensohn arbitratus est litteras erasas atque incertas esse testatus est Waddington. Cf. Thiele l.l. p. 65 sqq. — Locus V. Al. Sev. 60,1, ubi Alexander vixisse annos XXVIII menses III dies VII narratur, omnino falsus est et ratio, qua Wirth l.l. p. 42, quem secutus est Thiele l.l. p. 67, mensium et dierum errores explicare voluit, cum diebus in Alexandri Magni vita obviis Severi Alexandri dies confusos esse putans, insolita et incerta mihi videtur.

dius;[1]) sed fide indignum hoc esse luce clarius est. Populum vero senatum provinciales doluisse[2]) credere licet.

Senatus eum in deos rettulit.[3]) Severus Alexander et haud dubie mater quoque eius in Germania cenotafii, Romae autem sepulcri amplissimi honore ornati sunt.[4])

Sodales Alexandriani appellati sunt; et addita festivitas matris nomine atque ipsius, quae ab eo inde tempore Romae religiosissime natali eius die celebrata est;[5]) quae decreta in eius Mamaeaeque laudem nimirum facta sunt, cum, quarto anno ab eius interitu, Maximinus restituta senatus auctoritate subita morte iusta solvit.

[1]) V.Al. Sev. 63,1. [2]) V.Al Sev. 63,2. [3]) V.Al. Sev. 63,3. C.I.L. I² p. 255. C.I.L. VIII 627. C.I.G. 4483. Cohen IV 597 sqq. Cf. Thiele l.l. p. 32. [4]) V.Al. Sev. 63,4. [5]) V.Al. Sev. 63,4. C.I.L. I² p. 274. Cf. Thiele l.l. p. 33.

XI.

De Iuliae Mamaeae religione et eius aequalium Alexandro imperante nondum locutae sumus, quia fusius et in singulari capite de ea dicere voluimus.

His quoque in rebus prima consilia, quae post Antonini mortem cepit Alexander, illius imperatoris rationibus contraria fuerunt. Elagabali lapis Roma ablata est.[1]) Sacerdote invicti Solis dimoto sacerdotem Urbis Alexander se appellavit.[2]) Religio publica restituta est: deorum imagines, quas Antoninus sedes mutare coegerat, in sua templa redierunt.[3]) In exercitu quoque priscus deos venerandi modus renovatus est.[4])

Horum consiliorum haud dubie consilium imperatorium particeps fuit;[5]) sed et Iuliam Mamaeam adiuvisse, quippe quae ex populi Romani sententia haec fieri intellegeret, quare omnia, quae Antoninus decreverat, rescindere vellet, persuasum mihi est.

Per totum suum imperium Severus Alexander religionis publicae consuetudines observabat.[6]) Septimo quoque die Capitolium ascendebat;[7]) et in multis

[1]) Dio Cass. LXXIX 21,2. [2]) Cohen IV 527. Eckhel VII 270. Cf. Schiller l.l. p. 763. Groebe l.l. p. 2527. [3]) Herod. VI 1,3. [4]) C.I.L. XIII 6752. 6716. 7793. 8017. III 3899. XIII 6749 Oesterr. Jahresb. 4, 1901, append. p. 141. Cf. Domaszewski Westd. Zeitsch. XIV 1895, p. 61 sqq. Thiele l.l. p. 16. [5]) Cf. Thiele l.l. p. 110 adn. 1, qui recte Domaszewskii l.l. p. 6 opinionem, hanc rem Iuliae Mamaeae soli tribuentis repudiat. [6]) Froehner p. 174. Cohen IV 536. [7]) V.Al. Sev. 43,5.

eius nummis Iuppiter[1]) repraesentatur vel ipse imperator sacra faciens.[2]) Omnia templa frequentabat[3]) et ornabat,[4]) donaque, quae accepit, in templis posuit;[5]) ceterum modica tantum sacrificia dare solebat.[6]) Pontifices, quindecimviros, augures diligentissime colebat.[7])

Domi quoque princeps eiusque mater dies festos patrio more agebant,[8]) utpote qui non iam Syriacae imprimis erant addicti religioni, quae Alexandro regnante Romae parvi tantum momenti fuit.[9]) Nec tamen solos deos Latinos venerabantur. Romae enim, quo omnes religiones convenerant, Romana religio ipsa naturae suae pristinae vim magna ex parte amiserat; tertium enim saeculum „syncretismo", quod vocamus, favebat, cuius nemo maiore studio ardebat quam Severus Alexander[10]), cuius tutor et patronus esse volebat, quippe qui de „secta mea"[11]) loquatur.

In larario suo, ubi, si castus sibi videbatur, matutinis horis rem divinam faciebat, omnium, quos patronos caelestes aut de imperio ac genere humano bene meritos esse putabat, imagines habebat, ubi repraesentati erant Christus, Abraham, Orpheus, Apollonius et huiusmodi ceteri, deinde divi principes optimi Romani, et Alexander Magnus, quem saeculo tertio, quod in Oriente Occidentis imperium fundaverat, quasi divinus Romani imperii praecursor omnes, Severus Alexander praesertim, venerabantur. Deinde in secundo larario magnorum viro-

[1]) Cohen IV 69 sqq. [2]) Cohen IV 275 sqq. Dattari 4386. 4401. 4524. 4533. 4558. Cf. Thiele l.l. p. 15 sq. [3]) V. Al. Sev. 43,5. [4]) Vide p. 51. [5]) Vide p. 55. [6]) V. Al. Sev. 44,9. [7]) V. Al. Sev. 22.5. [8]) V. Al. Sev. 37,6. [9]) Eckhel VII 275 et 277 sq. [10]) De hac re cf. Réville la Relig. à Rome sous les Sévères. [11]) Cod. Iust. IX 8, 2. 22,5. Cf. Réville l.l. p. 268.

rum, ut Achillis, Vergilii, Ciceronis simulacra collecta erant.[1])

Matrem quoque principis his sollemnibus interfuisse nusquam legimus; propria haec Alexandri religio fuisse videtur, quam ipse nullius indiciis fretus excogitavit.

Iuliae Mamaeae tamen non minus quam filio eius res divinae cordi erant. Cuius rei notissimum documentum exstat, quod Origenes eam visit. Cum enim anno 232[2]) Antiochiae moraretur, Alexandro contra Artaxerxem profecto,[3]) quo tempore magna sollicitudine afficiebatur, ut cum Origene, illustri illo pres-

[1]) V. Al. Sev. 29,2. 31,4. Cf. Réville l.l. p. 276 sqq. Iniuria Domaszewski l.l. p. 63 adn. 262 et Thiele l.l. p. 34 sq. et 40 hoc Lampridii testimonium fide indignum aestimant. [2]) Vide p. 77. Baronius Annal. eccles. II p. 529 (ed. Theiner) et Tillemont l.l. p. 179 anno 218, quo tempore Antoninus cum domo sua Antiochiae commoratus est, postquam Macrinum vicit (vide p. 23), hanc rem accidisse existimabant. Sed Réville l.l. p. 270 et Aubé Les Chrét. de l'Emp. Rom. p. 306 sqq. eam anno 232 assignandam esse comprobaverunt. Anno enim 218 per breve tantum tempus in militum strepitu Antiochiae fuit Mamaea, neque Antoninum ei praesidium militare ad Origenem arcessendum (vide infra) permissurum fuisse verisimile est. Anno 232 vero diutius Antiochiae morata est et tunc praesidii mittendi facultatem habebat. Eodem anno Origenes Caesareae habitabat (Euseb. H. E. VI 26. Hieronym. Chron. ad annum 232), prope igitur ab Antiochia, cum antea Alexandriae domicilium haberet (Euseb. l l. Hieronym. l.l.), anno 218 quoque, ut per breve illud spatium, quo tunc Mamaea Antiochiae morata est, arcessi non potuerit. Praeterea, cum principis matrem adiret, presbyter erat Origenes (Oros. VII 18,7), quod munus multis demum post 218 annis nanctus est. (de Origenis vita et chronologia cf. Preuschen Realencycl. für prot. Theol. XIV p. 470 sqq.). Mamaeam anno 226 Antiochiae cum Origene collocutam esse, id quod Eusebio l.l. credi posse negavit Hopkins l.l. p. 52, ab Eusebio traditum non esse monet Thiele l.l. p. 99 adn. 3. [3]) Alexandrum absentem fuisse ex Eusebii silentio recte efficiunt Neumann, Der röm. Staat und die allgem. Kirche I p. 207 adn. 3. Thiele l.l. p. 99 adn. 3.

bytero, qui Caesareae tunc habitabat,[1]) colloquium haberet, optavit.[2]) Origenes ille Christianus fuit, qui primus totam sui temporis scientiam ad Christianam normam accommodare ac religionem Christianam cum „Hellenismo", quod vocamus, conciliare conatus est; disciplina eius, ex Platone pendens, praecipue quod attinet ad doctrinam de simulacris rerum, quae corpora exstare negat,[3]) Iuliae Mamaeae studium excitasse videtur. Praesidio militari eum arcessivit.[4]) Per aliquantum autem temporis cum ea de doctrina sua Christiana collocutus,[5]) deinde Caesaream revertit.[6]) Abhinc cum ea per litteras eum egisse contendit Preuschen;[7]) at nusquam hoc legimus.[8])

Ex hoc praecipue colloquio postea fabula, cui adhuc Baronius[9]) ac Tillemont[10]) fidem habuerunt, de Iulia Mamaea ad Christianam religionem conversa orta est; Eusebius[11]) eam „θεοσεβεστάτην γυναῖκα" vocat, quibus verbis in Latinum sermonem versis „Christianam" indicari voluit Orosius;[12]) et etiam Georg. Syncellus,[13]) Zonaras,[14]) Vincentius Lerinensis[15]) haec verba fortasse ita intellexerunt, minus recte, ut alii ex eodem Eusebio loci[16]) ostendunt.

Non tamen ex hoc solo errore fabula illa orta est. Goerres[17]) enim ex loco, quem ex Dionysii Alexandrini epistula affert Eusebius[18]), tertio saeculo scripta, iam tunc famam eam natam esse ostendit, ubi nar-

---

[1]) Euseb. H. E. VI 26. Hieronym. Chron. ad ann. 232. [2]) Euseb. H. E. VI 21. Oros. VII 18,7. Georg. Sync. p. 675. Hieronym. Vir. Illustr. 54. Vincent. Lerin. Common. 23. Zonar. XII 15 p. 574. [3]) Cf. Preuschen l.l. p. 475 et 481. [4]) Euseb. H.E. VI 21. [5]) Euseb. l.l. Georg. Sync. p. 675. Hieronym. Vir. Ill. l.l. Zonaras l.l. [6]) Euseb. l.l. [7]) Preuschen l.l. p. 475. [8]) Cf. Porrath l.l. p. 13. [9]) Baronius l.l. [10]] Tillemont l.l. p. 179 sq. et 621. [11]) Eusebius l.l. [12]) Orosius l.l. [13]) Georg. Sync. l.l. [14]) Zonaras l.l. [15]) Vincent. Lerin. l.l. [16]) Euseb. H.E. IX 9 et 11. X 4 cet. Cf. Goerres l.l. p. 58. [17]) Goerres l.l. p. 56. [18]) Euseb. H.E. VII 10.

ratur vel eos imperatores, qui palam Christiani fuisse dicebantur, non tantam erga Christianos benevolentiam habuisse quantam Valerianus. Haud dubie Alexander et Philippus, quippe qui erga Christianos benevoli fuerint,[1]) hoc loco spectantur; sed ad Mamaeam quoque eum pertinere veri est simile, quia postea illa praecipue Christiana vocabatur.

Huic autem rumori iam Spanheim[2]) et Basnage[3]) oblocuti sunt, quem deinde Porrath[4]) Réville[5]) Aubé[6]) Goerres[7]) omnino falsum esse demonstrarunt, quibuscum hodie omnes viri docti[8]) consentiunt. Nam non solum quod sacra publica servari voluit, ut vidimus, et quod in nummis[9]) dearum Romanarum imagine repraesentatur, sed etiam quod nusquam Eusebius Christianam eam appellat et Hieronymus[10]) religiosam tantum feminam eam vocat, ea fama redarguitur. Mirum etiam esset, si Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus tantam suae doctrinae victoriam silentio praeteriissent.[11])

Neque Iulia Mamaea neque filius eius inter Christianos recipi voluerunt. Quod postea hoc traditum est, tam eorum „syncretismus" explicat, quam utriusque studium, quo Christianos cordi habuerunt.

Non enim soli Origeni, ceteris quoque illius temporis Christianis illustribus ad Iuliam Mamaeam aditus familiarior erat.[12])

Quin Hippolytus ei opus dedicasse videtur, cuius fragmenta in Syriacum sermonem conversa[13]) „De Resurrectione ad Mamaeam Imperatricem" inscripta

---

[1]) Vide infra. [2]) Spanheim Opera II p. 400. [3]) Basnage l.l. p. 286 sq. [4]) Porrath l.l. p. 12 sq. [5]) Réville l.l. p. 272 sq. [6]) Aubé l.l. p. 307 sqq. [7]) Goerres l.l.p. 55 sqq. [8]) E.g. Lécrivain l.l.p. 222 adn.5 . Hopkins l.l. p. 52. Thiele l.l. p. 99 adn. 3. [9]) Vide p. 41. [10]) Hieronym. l.l. [11]) Cf. Porrath l.l. p. 13. [12]) Georg. Sync. p. 675. Cf. Réville l.l. p. 27 sq. [13]) Hippolytus ed. Kirchenv. Comm. (1897) I 2 p. 251 sqq.

sunt, quod sine dubio idem opus est atque illud quod a Theodoreto[1]) nonnulla ex eo afferenti „*πρὸσ βασιλίδα τινὰ ἐπιστολή*" vocatur, nam idem tractant argumentum. Cum Acheli[2]) consentio eorum[3]) opinionem repudianti, qui putant haec Syriaca fragmenta ex eo libro esse, quem Hippolyti statua[4]) „*Προτρεπτικὸς πρὸς Σεβερεῖναν*" appellat, qui deinde hac Severina Aquiliam Severam intellegi volunt, quod Hippolyti aetate nulla imperatrix Severina extiterit. Aquilia igitur Severa ad religionem Christianam inclinata fuisset, postea vero, ut ex fragmentis Syriacis apparet, epistula illa, ad illam scripta, ad Iuliam Mamaeam iniuria translata fuisset, cum iam Theodoretus imperatricis nomen, cui opus suum dedicaverat Hippolytus, ignorasset. Minus firma mihi quidem haec videtur argumentatio, quippe quae ponere coacta sit: primum vocem „*Σεβερεῖναν*" in Hippolyti statua errori deberi; secundum Syriaca fragmenta minus recte inscripta esse; cum multo simplicius sit ponere nullos extitisse errores, sed „De Resurrectione ad Mam. Imp." aliam epistulam fuisse, aliam „*Προτρεπτικός*" illam; neque enim tituli librorum similes sunt, nisi in hac una re, quod ad mulierem uterque scriptus est. Tertium veri mihi minime videtur simile, Aquiliam Severam[5]) ad Christianam religionem inclinasse, quippe quae, Vestalis cum fuisset, iis, quae priscae Romanae religionis maxime erant propria, penitus imbuta fuerit. Porro Hippolytum, qui illis temporibus Romae degerit et haud dubie Mamaeam cognoverit, ei opus dedicasse, quod eam delectasse manifestum sit, minime mirum mihi videtur. Cum praeterea unus ex iis fuerit clericis, quos propter benevolentiam quam iis Alexander

[1]) Theodoretus (ed Schulze) IV p. 131 sq. [2]) Hippolytus l.l. Vorbemerkungen p. VI. [3]) Döllinger Hipp. und Kallist. p. 24. Neumann l.l. p. 205 sq. Réville l.l. p. 252 adn. 2. [4]) C. I. G. IV 8613. [5]) Vide p. 27.

praestiterat, Maximinus persecutus est,[1]) facere non possumus, quin eum quam maxime cum imperatore huiusque matre coniunctum fuisse persuasum habeamus. Recte Réville[2]) eum fortasse, ut colloquium cum Origene Mamaea haberet, adhortatum esse monet.

In palatio etiam multi Christiani officiis fungebantur.[3]) Tam ex hac re quam ex Maximini persecutione imperatorem iis non minus quam matrem favisse apparet;[4]) insuper multa alia huius studii suppeditant documenta. Saepius „Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris" dicere solebat, quam sententiam usque adeo dilexit, ut et in palatio et in publicis operibus praescribi iuberet.[5]) Nonnullas eorum consuetudines imitari studebat.[6]) Quin Christo templum facere voluit eumque inter deos recipere, quod tamen facere prohibitus est.[7]) Cum Christiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupassent, contra popinarii dicerent, sibi eum deberi, rescripsit, melius esse, ut quemadmodumcumque illic deus coleretur quam popinariis dederetur.[8])

[1]) Euseb. H. E. VI 28. Oros. VII 19,2. Zonar. XII 16 p. 575. Cum anno 235 exsilio affectus sit, nonnulli Alexandrum hoc iussisse putaverunt. At Maximinum huius exsilii auctorem fuisse arbitremur. Cf. Réville l.l. p. 272. Lipsius Chronol. der Röm. Bisch. p. 195 sqq. [2]) Réville l.l. p. 272. [3]) Euseb. H. E. VI 28. Oros. VII 19,2. Zonar. l.l. [4]) Id matris auctoritatem secutum eum fecisse ut coniciamus, (quod multi fecerunt. Cf. Goerres l.l. p. 55) nulla necessitas compellit. Ipsius enim Alexandri natura eum eo adducebat. [5]) V. Al. Sev. 51,7-8. [6]) V. Al. Sev. 45,7. [7]) V. Al. Sev. 43,6. „Omnes Christianos futuros" vero a Lampridio fictum est. Cf. Schiller l.l. p. 902 adn. 1. Lécrivain l.l. p. 222 sq. Sed iniuria Thiele l.l. p. 38 totum hunc locum fide indignum esse iudicat. [8]) V. Al. Sev. 49,6. Huic quoque loco iniuria Thiele l.l. p. 38 fidem detrectat. Goerresii l.l. p. 70 opinio, posterioribus Alexandri regni annis hoc accidisse arbitrantis, infirmis mihi videtur niti argumentis: Lampr. enim temporis ordinem servare non solet, ut nullius momenti sit eum haec brevi ante

Severus Alexander magis quam omnes, qui antea fuerant, imperatores de rebus divinis sentiendi quae vellent libertatem omnibus permisit, quod propria eius religio eum facere iubebat.[1]) Ut Iudaeis privilegia reservavit,[2]) sic Christianos esse passus est.[3]) Senatus consultum sive edictum sive constitutionem hoc loco respici tamen veri non est simile, quia nusquam alibi de eo legimus: tacita magis concessio fuit, quae ex iis, quae imperator agebat, satis apparebat.[4])

Ita factum est, ut ecclesia Christiana, quae in summis quoque ordinibus multos iam habebat cultores,[5]) i. a. consulis anni 226 Marcelli uxorem,[6]) secunda uteretur fortuna et, eximia nisa administratione, in dies magis floreret. Non tamen fortunae, in tempus datae, adducere eam potuerunt, ut cum „syncretistis" se iungeret, sed separata esse pergebat, quod religio Christiana eam retinuit, quominus cum ceteris in unam confunderetur.[7])

Haec Mamaeae filiique eius erga Christianos benevolentia hanc quoque ob causam magni est momenti, quod multos ex eorum amicis nequaquam in hac re

---

bellum Persicum narrare; si revera rescriptum maturum ostendit iudicium, matris arbitrio iuvenis id dare potuit. — Non ad aedem sacram hunc locum pertinere demonstrant Aubé l.l. p. 312. Goerres l.l. p. 67 sqq. [1]) „Aequitas" eius in multis nummis tessera est. Mea sententia non imprimis origo eius Orientalis eum erga Iudaeos et Christianos benevolum reddidit, ut Goerres l.l. p. 55 putat. Veneratio enim, cuius in larario suo varii dei participes fuerunt, omnium eum religionum perspexisse ostendit, quae pulchra essent quaeve minus. [2]) V.Al. Sev. 22,4. Origenes Migne Patrol. Gr. XI p. 82. C.I.L. III 3327. 10301. Cf. Goerres l.l. p. 54. Thiele l.l. p. 14 sq. [3]) V. Al. Sev. 22,5. [4]) Cf. Aubé l.l. p. 299 sq. [5]) Cf. Allard Hist. des Perséc. p. 179. Aubé l.l. p. 303. [6]) Pescennia scilicet Quodvuldeus, cuius titulum sepulcralem invenimus Fred. Münter Primord. Eccl. Afric. p. 187. Cf. Aubé l.l. p. 303 adn. 1. [7]) Cf. Réville l.l. p. 292.

cum iis consensisse invenimus. Ex Pauli,[1]) quam tamen ante Alexandri regnum scripsit,[2]) sententia eum quam maxime a novis incognitisque religionibus aversum fuisse concludere possumus. Ulpianus in libro suo de Officiis Proconsulis omnia imperatorum contra Christianos rescripta collegit,[3]) probabiliter tamen item ante annum 222.[4]) Ex qua re quamquam Ulpianum Christianis iniquum fuisse non necessario sequitur, cum in omnium rescriptorum corpore etiam sine ulla Christianorum aversatione haec complecti deberet,[5]) tamen iuris illum peritum ex religione Christiana crescente periculum imperio Romano imminere aliquatenus intellexisse veri est simile.[6]) Iure fortasse Réville[7]) Mamaeae consiliarios Christianosque, qui eam visebant, alteros alteris invidisse suspicatur. Dio Cassius quoque, priscus ille vir, qui pietatem erga solos patrios deos restitui iubebat, novis religionibus adversabatur, praecipue Iudaeis ac Christianis, cum reipublicae instituta et auctoritatem principis contemnerent.[8])

Sed etsi nonnulli cum eo dissentiebant, imperatoris auctoritas sufficiebat, ut hac in re obtineret, quod vellet. Ecclesiam Christianam perfecta illis annis pace gavisam esse multa documenta, a Goerresio[9]) collecta, docent. Anonymi cuiusdam Eusebius[10]) testimonium attulit, anno 231 vel 232[11]) scriptum, inde ab anno 218 perpetuam Christianis pacem fuisse dicentis. Anno 256 ad Cyprianum[12]) Firmilianus scripsit mala „post longam retro aetatis pacem" (tempora de-

---

[1]) Paul. Sent. V 21,2. [2]) Cf. Teuffel Gesch. der Röm. Litt. II[5] p. 956. [3]) Lactant. Instit. Div. V 11,19. [4]) Cf. Goerres l.l. p. 75 sq. [5]) Cf. Allard l.l. p. 186. [6]) Cf. Réville l.l. p. 273. [7]) Réville l.l. p. 274. [8]) Dio Cass. LII 36. Cf. Meyer l.l. p. 64 sq. et 89. [9]) Goerres l.l. p. 62 sqq. [10]) Euseb. H. E. V 16. [11]) Vide p. 75 adn. 5. [12]) Cyprian. Epist. LXXV (p. 222 ed. Fell) Cf. Goerres l.l. p. 63 sq.

signat, quae post Alexandrum imperatorem fuerunt) repente oborta insueta fuisse. Cetera testimonia dederunt Cyprianus[1]) anno 251, Liber de Mortibus Persecutorum[2]) anno 314, qui tamen res in maius auxit,[3]) Sulpicius Severus[4]) anno fere 400.

Mirum igitur est quod Acta Martyrum nonnullorum Alexandro imperante ob fidem Christianam interfectorum mentionem faciunt. At ex testimoniis, quae attulimus, hoc verum non esse luce clarius apparet. Non solum Caeciliae ceterorumque martyria alii tempori attribuenda sunt,[5]) sed etiam Callisti martyrium spurium est.

Hippolyti hic adversarius, episcopus Romae, mortuus est Alexandro regnante.[6]) Elagabalo imperatore mulieribus permiserat, ut nuptiis legitimis omissis ecclesia probante cum servo vel cum viro libero inferiore loco nato matrimonium inirent.[7]) Quam ob causam apud multos summa florebat gloria, unde factum est, ut mox iam[8]) martyris titulum ei donaverint.[9]) Iam Basnage[10]) hoc in falsi suspicionem adduxit, motus et Eusebii silentio et multis rebus in narratione illa incredibilibus. Aubé[11]) vero aliquatenus martyrio illi credi posse putavit, si imperatore invito ut Ulpiani caedem id accidisse putares. Et de Rossi,[12]) quem secutus est Allard,[13]) cum eo consensit propter nonnulla levia argumenta (e. g. quod Cal-

---

[1]) Cyprian. de Lapsis (p. 128 ed. Fell). De hoc loco cf. Goerres l.l. p. 65. [2]) De Mort. Persec. 3 et 4. [3]) Cf. Goerres l.l. p. 66. [4]) Sulpic. Sev. Chron. II 32. [5]) Cf. Aubé l.l. p. 407, qui primus hoc demonstravit. Réville l.l. p. 272. Goerres l.l. p. 48 sqq. [6]) Euseb. H. E. VI 21. [7]) Hippolyt. IX 12 p. 460, 27. Cf. Neumann l.l. p. 202. [8]) In laterculo ecclesiae anni fere 336 martyr vocatur. Cf. de Rossi Bullet. di arch. crist. 1866 p. 93 sqq. [9]) Cf. Neumann l.l. p. 208 adn. 3. [10]) Basnage l.l. p. 283. [11]) Aubé l.l. p. 333 sqq. [12]) De Rossi l.l. [13]) Allard l.l. p. 189 sq.

listus non in coemeterio, quod Zephyrinus episcopis destinaverat, sepultus est), quae prorsus nullius sunt momenti comparata cum Goerresii[1]) argumentis contrariis. Nam quomodo loqui potuissent de perpetua ecclesiae pace, si hoc tempore Romae episcopus, licet imperatore invito, interfectus tamen esset? Accedit,[2]) quod hoc martyrium traditum nobis est nonnisi turbidis fontibus,[3]) a quibus igitur omnem fidem abiudicare debemus.

---

[1]) Vide p. 99 sq. [2]) Cf. Goerres l.l. p. 79 sqq. [3]) Pseudo-Damasus, Acta S. Callisti interpolata et, quae ex iis pendent, Martyrologia Bedae, Usuardi, Adonis, cet.

XII.

„Le IIIe siècle semble être par excellence dans l'antiquité le siècle de la femme paienne intelligente, ayant conscience de sa valeur et de sa puissance, aspirant au gouvernement de la chose publique comme à l'empire des lettres, curieuse de tous les problèmes et avide d'une foi renouvelée, entourée tout ensemble d'adorateurs et de savants — le siècle des Zénobie, des Victoria, des Salonine, et de ces princesses syriennes qui représentent dans l'histoire de la civilisation un type tout particulier, intermédiaire entre la femme romaine et la femme chrétienne, la personnification féminine du syncrétisme religieux et moral de leur temps".

Révillii[1]) haec verba sunt ex pulchro eius, cuius saepius mentionem feci, libro. Ego autem pro viribus vitam unius ex iis mulieribus Syris describere conata sum, postremae et, mea quidem opinione, ex omnibus reverentia dignissimae.

Iulia Mamaea, quod ad ingenium eius attinet, multis rebus ceterarum suae gentis mulierum similis fuit. Ab initio tamen castitas eius ac verecundia, rarae illis temporibus, eam ab iis distinxerunt.[2]) Praeterea supra illas eam extulit felix quidam nonnullarum, quas singulas illae habebant, proprietatum concursus: maximae ambitionis animique vigoris, quibus nulla ex illis caruit; artium ac disciplinarum

[1]) Réville l.l. p. 192. [2]) Cf. Réville l.l. p. 259.

amoris, quo Iulia Domna eminuit; parsimoniae, qua Iulia Maesa conspicua fuit; naturae bonitatis, quam in Iulia Soaemiade quoque invenimus, quae in utraque sorore caritate praecipue significata est, qua filios complectebantur. Proprietates eae invicem se illustrarunt: quamquam fortasse intelligentia Iuliam Domnam non aequabat, praestantiorem quam matertera naturam Mamaea habuit, quod sensus eius sincerus multum valebat, ut ceteri homines in eius amicitiam pervenirent, et studium honestatis, quod appetebat, eam a multis rebus retinuit, quibus Iulia Domna minime offendebatur, quippe quae omnibus aliis animi impetibus posthabitis ambitioni suae satisfacere flagraret. Iuliae deinde Soaemiadis quamquam materna caritas ad animos nostros ei conciliandos aptissima sit, voluptatis Orientalis vinculis tamen artius constricta tenebatur, cum filio communia habebat vitia ac flagitia nimis multa, mente parum erat praedita, quam ut boni fructus ex eius indole percipi potuerint. Contra sororis eius materna caritas, consilii plena ac sibi certi propositi conscia, in desiderium crevit ac facultatem ingenii filii sui intelligendi et excolendi, perspicientiae compos facta est quomodo id regere deberet. Difficile sed grande opus erat, quod vita ei proposuit, cui toto pectore omnibusque viribus se dedidit.

Tempora ante Alexandri principatum, agitationis ac motus plena, Mamaeae ingenium maturarunt atque conformarunt: sororis filio imperante pudorem ac verecundiam desiderari clare perspexit; impedimenta, quibus Elagabalus ei offecit, maternam caritatem firmarunt. Ambitio quoque eius illis annis aucta est. Et quo tempore Alexander imperium iniit, mater eius expolito et sibi constanti fuit ingenio.

Cum orbem imperio regeret, magis amabilis, minus sibi cupida quam matertera eius fuit; minore tamen

quam illa prudentia usa est et, quamquam multis rebus, ut Alexandri imperium saluti esset, effecerit, quam debili auctoritate contra exercitum niteretur, non perspexit. Sensim cum milites imperatoris oboedientia teneri non posse Romanumque imperium minus firmum quam antea fieri ac filii sui vitam seditionibus sollicitari videret, haud dubie ea re afflictabatur. Qui dolor et frustratio ad res divinas magis eam inclinarunt et in omnia animum eius adverterunt, quaecumque pulchra religiones tunc cultae exhibebant, ut in hac quoque re ad maiorem quam ceterae eius generis mulieres animi perfectionem pervenerit.

Postea imprimis illas eius proprietates, quae maxime conspicuae fuerant, memoria homines retinuerunt, de quibus, neque causis magis reconditis neque veris momentis satis intellectis, praeposterum iudicium tulerunt. Sic Herodianus de eius avaritia, de eius dominandi cupidine libidinosa atque invida, de eius superbia in filium, de nimia sollicitudine queritur, ne filio quid accideret, cuius iniquitatem iam in locis ostendimus.[1]) Multi tamen nostris quoque temporibus Herodianum sequuntur, quamquam facere non possunt, quin eam notabilem fuisse mulierem fateantur. Sic Hopkins[2]) eo venit, ut dicat: „She was of the type which in history wins the title of The Great rather than of The Good". Attamen iustius de Iulia Domna hoc dixisset; melior vero quam maior erat Mamaea. Thiele[3]) quoque ambitionem eius ingenii maxime propriam fuisse putat. At etiamsi valde ambitiosa fuit, minus recte ille iudicat: ante omnia filii eam gubernavit amor, ut iure monuit Réville,[4]) cui tamen nequaquam concedo amorem illum caecum fuisse et nimia cura opus, cui totam vitam dedisset,

[1]) Vide p. 56. 59. 43 sq. 78. 80. [2]) Hopkins l.l. p. 56. [3]) Thiele l.l. p. 68. [4]) Réville l.l. p. 259.

eam corrupisse, „semblable à ces artistes, qui retouchent toujours leurs oeuvres et ne les produisent jamais". Primum nunquam eam filio liberum dedisse arbitrium verum non est: multa enim nobis obvia fuerunt consilia, quae haud dubie solus cepit, nec raro documenta, quae eam non omnia, quae Alexander fecit, probasse doceant, invenimus. Deinde equidem haud scio an magna illa cura necessaria fuerit. Ingenium eius cum intellegeret, fortasse sibi persuasit, eum talem esse hominem, qualem vitae usus vitae idoneum non reddat. Quantum scire possumus, Alexandri indoles animi fortitudinis ac mollitiei varietatem ostendit, quae propria esse solet hominum iudicii subtilitate excellentium simulque omnia ad perfectionis normam fingentium (quos „idealisten" vocamus). Hoc unum fortasse caecitas appellandum est, quod Mamaea eum has partes agere cupivit neque vidit eius ambitionem multo sua minorem esse, cuius ergo satisfactio non ante omnia eum beatum reddere posset. Facile tamen haec caecitas explicatur: Alexander enim adhuc puer erat, cum imperium iniit, multaque in eo dormiebant, quae, postea demum expergefacta, illa providere non potuit.

Severus Alexander multo melior temporibus aequalibusque suis fuit. Imprimis religiosa erat eius natura, cuius in eius consiliis iudicandis semper ratio habenda est.[1]) Mitis erat et humanus;[2]) semper iusto maiores in hominibus ponebat spes, nimis iis fidebat, et deinde saepe frustratum ac vitae communis ignarum se esse cognoscens suspiciosus factus est.[3])

Naturae bonitate eminebat supra matrem, quae mente vero eum superabat. In utriusque praecipue religione perspicuum hoc discrimen est, simul tamen

[1]) V. Al. Sev. 4, 5. Cf. Réville l.l. p. 263 sqq. Hopkins l.l. p. 243 sqq. Thiele l.l. p. 109. [2]) Herod. VI 1, 6. [3]) V. Al. Sev. 64,3.

maior similitudo. Multis in rebus principis ingenium matri simillimum fuit, quas partim traditas eum accepisse verisimile est, partim ab ea excultae sunt. Filii continentiam, industriam, parsimoniam, simplicitatem eam custodivisse et rexisse vidimus. Alexandro ignavia puerilis obiecta est, iniuria; nam quae ignavia videbatur, inertia erat, ex animi demissionibus nata, quae ad tempus eum obsidebant, cum frustrationes nimis eum angerent. Sed fortiter expeditiones suscepit neque unquam officio defuit, matre fideliter iuvante, quae usque ad vitae finem cum summa prudentia ingravescentibus difficultatibus obsistere conata est. Invicto animi vigore operam dedit, ut quae posset servaret, nec prius destitit, quam postquam filio occiso omnia pessumdata esse intellexit.

Iuliae Mamaeae imago, quam adumbravi, cum eius quae in nummis statuisque nobis supersunt imaginibus[1]) convenit. In his enim aliqua ex parte ceteris Iuliis similis est: sed puri et digni nescio quid in ea est, quo illae carent, quod in Alexandro vero redit. Mediocri atque austera fuit illa pulchritudine, quae recti vultus lineis continetur. Aciem oculorum claram, pulchrum nasum curvum, os forte cum inferiore labro paulum prominenti, collum nobile habuisse videtur, vultum, qui imprimis intellegentiam, animi fortitudinem, constantiam ostendit. Severus Alexander[2]) matri similis fuit; nasum vero rectum, oculos „who stare without seeing",[3]) claros tamen, os molle habuit. Lampridius[4]) eius eum fuisse corporis narrat, ut praeter venustatem masculam decor ei inesset staturae militaris; sed utrum hoc verum sit, nescimus.

[1]) Cf. Bernoulli l.l. p. 108 sqq. [2]) Cf. Bernoulli l.l. p. 98 sqq. [3]) Hopkins l.l. p. 67. [4]) V. Al. Sev. 4,4. Oculos ardentes eum habuisse Lampridio 6,1, qui imagines eius vidimus, credere non possumus. Cf. Hopkins l.l.

THESES.

I.

Thielii Hopkinsiique de Iulia Mamaea iudicia minus iusta sunt.

II.

Semel tantum Severus Alexander matrimonium iniit.

III.

Iulia Domna quo tempore eius ossa in Antoninorum mausoleum translata sunt (Dio Cass. LXXVIII 24,2) neque, ut vulgo creditur, una cum sorore sua Iulia Maesa consecrata est.

IV.

„Προτρεπτικὸν πρὸς Σεβερεῖναν" (C. I. G. IV 8613) ad Aquiliam Severam scriptum fuisse idemque esse atque Hippolyti id opus, quod Theodoretus „Πρὸς Βασιλίδα τινὰ Ἐπιστολήν", Syriaca vero fragmenta „De Resurrectione ad Mamaeam Imperatricem" appellant, nego.

V.

Erravit Zosimus I 12, cum pro „Ταυρῖνον" „Ἀντωνῖνον" scriberet.

VI.

Gruppe Griech. Mythol. u. Religionsgesch. I p. 139 sqq. Herculem Patris templum habuisse neglexit.

VII.

Dexamenus, Oleni rex, a Callimacho Hymn. IV (Del.) 102 merito „Οἰνιάδης“ appellatur. Iniuria Schneider ad Schol. ad hunc locum formam „Οἰκιάδης“ tutatus est. Iure tamen errasse Scholiastam existimat, l.l. Dexamenum centaurum vocantem.

VIII.

Herodian. VI 1,4:
τοῖς ἐξετασθεῖσί τε καὶ εὐδοκιμήσασι ἐν εὐτάκτοις τε καὶ πολεμικαῖς πράξεσιν.
Vocem „εὐτάκτοις“ in „τακτικαῖς“ mutandam esse censeo.

IX.

Herodian. VI 9,4 legatur:
„οἱ δὲ τὴν μητέρα ἐμέμφοντο ὡς φιλάργυρον καὶ τὰ χρήματα ἀποκλείουσαν, διά τε μικρολογίαν καὶ τὸ πρὸς τὰς ἐπιδόσεις ὀκνηρὸν <αὐτῆς> τοῦ Ἀλεξάνδρου μεμισημένου.

X.

Herodian. IV 15,5:
οὐκέτι δὲ οὐδὲ καθεώρων ἀλλήλους, μεγάλου οἱονεὶ χώματος ἐν μέσῳ καὶ δυσβάτου ὑπὸ τῶν σωμάτων σεσωρευμένου, ὑφ᾽ οὗ κωλυόμενοι τοῖς ἄλλοις ἐπιέναι ἕκαστοι ἐπανῆλθον ἐς τὰ ἑαυτῶν στρατόπεδα.
τοῖς ἄλλοις in ἀλλήλοις mutandum esse censeo.

XI.

Euripid. Hippolyt. 42 optima codicum lectio est:
δείξω δὲ Θησεῖ πρᾶγμα.
neque cum Weilio in δεῖξαι δεήσει πρᾶγμα mutanda est.

XII.

Euripid. Medea 373 sq.:
τήνδ᾽ ἀφῆκεν ἡμέραν
μεῖναί μ᾽.
Minus recte Nauck pro „ἀφῆκεν“ „ἐφῆκεν“ legere vult.

XIII.

Athenaeus IV 21 p. 142 C. fortasse emendandum est:
καὶ πρόσταγμα οὐκ ἐγένετο δι᾽ ἐδεάτρου τίς <κατακ>είσεται καὶ κατακλιθήσεται πρῶτος.
Sed cum synonyma sint, aut κατακείσεται καὶ aut καὶ κατακλιθήσεται e margine in textum irrepsisse puto.

XIV.

Iniuria Thiele (de Severo Alexandro Imperatore Prooem. IX et p. 8 sq.) Lampridii Vitam Alexandri Severi Theodosii aetate a rhetore quodam pertractatam esse contendit.

XV.

Iure Lécrivain (Etudes sur l'Hist. Auguste p. 231 sqq.) Marium Maximum post Severi Alexandri mortem eius vitam litteris mandasse censet.

XVI.

Vita Maximini 7,4:
nam cum in Gallia esset et non longe ab urbe quadam castra posuisset, subito inmissis militibus, ut quidam dicunt, ab ipso, ut alii, a (in cod. B „a“ deest) tribunis barbaris, Alexander ad matrem fugiens interemptus est Maximino iam imperatore appellato.
Conicio: „posuisset, subito a militibus, ut quidam dicunt, ab ipso, ut alii, inmissis tribunis barbaris, Alexander“.

XVII.

Tibullus I 4,43 sq. legatur:
Quamvis praetexens picea ferrugine caelum
Venturam *admoneat* nubifer Eurus aquam.

XVIII.

Petron. Sat. 118,1 :
nam ut quisque versum pedibus instruxit sensumque teneriorem (*teneriore* Bernensis) verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse.
„*Teneriorum*" emendare velim.

XIX.

Terecht bestrijdt Constantin Ritter Neue Untersuchungen über Platon (München 1910) p. 183—227 de bezwaren, die Zeller en anderen tegen de taalstatistiek als hulpmiddel tot vaststelling der chronologie van Plato's werken hebben ingebracht.

XX.

Het is onharmonisch in Plato, dat hij, die als kunstenaar grooter is dan als wijsgeer, de kunst niet om haarzelf waardeert, doch slechts als zedelijk opvoedingsmiddel.

XXI.

Men behoude, voorzoover de duidelijkheid het toelaat, bij het vertalen der oude schrijvers de beeldspraak, ook al is zij in ons spraakgebruik ongewoon.